UNIVERSITY OF TORONTO
3 1761 01158619 5

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/teletisreliquiae00tele

PA
4441
T25
1909

Teles
III
?
290 c

TELETIS RELIQVIAE

RECOGNOVIT

PROLEGOMENA SCRIPSIT

OTTO HENSE

EDITIO SECVNDA

TVBINGAE
IN LIBRARIA I. C. B. MOHRII (P. SIEBECK)
MCMIX

PA
4441
T25
1909

LIBRARY
725131
UNIVERSITY OF TORONTO

TUBINGAE: H. LAUPPII JR.

PIIS MANIBVS

PATRIS OPTIMI

S.

Denuo ut ederem Teletem, insperanti mihi accidit sed valde optanti. nam praeterquam quod ipse haec studia recolere non desii dum cognati generis scriptoribus operam impendo, multi interim et docti viri horum sermonum reliquiis sagacitate sua vel scientia aliquid opis attulere. qui enim de proecdosi olim iudicarunt et quidem benivole iudicarunt, velut Fr. Blass, H. Diels, Th. Gomperz, R. Hirzel, A. Koerte, I. Sitzler, Fr. Susemihl, P. Wendland, eis alii nuper accesserunt, nuperrime G. Croenert, qui ut papyrorum perscrutator acerrimus hoc quoque praeter paucos perspexit, quanti sint momenti hae reliquiae ad κοινῆς dialecti origines paulo plenius describendas. nam ita est: ipse cum mediocri esset ingenio Teles, ingeniosiorum auctorum copias tam avide compilavit ut si de vita et moribus, de populari philosophia et sermone saeculi quarti vergentis tertiique ineuntis aliquatenus instrui voles, offeratur tibi imago parvula illa quidem sed cui exprimendae vividiores verioresve colores adhiberi vix potuerint. quamquam ne iniuria fiat Teleti, si quis credibile putet Theodoro epitomatori in excerpendo non hoc potissimum cordi fuisse, ut in Telete Teletem circumspiceret posterisque conservaret, immo illud, ut auctores aucuparetur a Telete adhibitos, ego vix refragabor. utique meum esse putavi sicut olim ita hodie non modo curae habere quoad poteram sermonum cicatricosam sane faciem sed etiam quaestiones de fontibus Teletis olim institutas diligenter ita retractare ut corrigerem nonnulla eorum quae in proecdosi scripseram, alia adderem quantumque fieri licebat significarem doctorum consensum dissensumve, si tamen veritas haberi putatur in consensu. universa libri indoles non mutata est nisi quod adnotationum pars quae ad interpretationem pertinet segregata

est ab ea qua lectionis discrepantia indicatur. auxi utramque.

Ad Phoenicem, quem ex papyro Heidelbergensi editum docto commentario illustravit G. A. Gerhard, ita mihi aditus factus est, ut editor qua est erga me humanitate singulas plagulas a prelo recentes mihi transmitteret. in lucem prodiit liber perutilis his ipsis diebus, non, quod aliquamdiu sperari poterat infraque a me dictum est, iam anno priore.

Indicem vocabulorum, quem diligentissime olim composuit Henricus de Mueller, ex proecdosi mihi placuit repetere pauculis ut in hoc genere fieri solet additis demptis mutatis. in numeris novae editioni accommodandis duo me strenue adiuverunt iuvenes amici, I. Schlageter et I. Faltin.

Indicem Bioneum nunc ad eum modum redegi ut locos quibus Bionis nomen non adhaeret secluderem omnes. nam quos in proecdosi paulo liberalius addidi Bioni coniectura plus minus probabili vindicatos vindicandosve, ei, ut dudum mihi persuasi, veram utilitatem non habebunt, nisi si plena planaque argumentatione extra dubitationis aleam positi erunt.

Scribebam Friburgi Brisgavorum kal. Febr.

PROLEGOMENA

Teletis saeculi tertii scriptoris reliquias seorsum edituro aliquid mihi praemonendum est de memoria Ioannis Stobaei cuius opere eclogario servatae sunt. quamquam de codicibus agere lubet brevissime utque ea tantum in medium adferantur quae ad apparatum quo utar recte aestimandum maxime necessaria sunt. qui pluribus instrui volet, legat quae in prolegomenis Stobaei vol. III disserui p. VII ss.

Ac 'florilegii' quod hodie appellare consuevimus h. e. totius operis librorum duorum posteriorum codices ut convinci possunt ad unum eundemque redire librum archetypum ita hodie discedunt in duas manifesto familias.

Prioris familiae est Vindobonensis (S) cod. philos. et philol. gr. LXVII (sec. Lambec. philos. LXXXI), olim Sambuci, membran. saec. XI ineuntis. librum quem omnium quotquot exstant plus uno nomine dicas praestantissimum diligenter in meum usum excussit Segofredus Mekler Vindobonensis. descriptus est autem S ex codice qui praeter tertium quartumque operis librum continuerit etiam duos priores quique ei libro quo Photius usus est fuerit simillimus. cf. quae dixi Stob. vol. III proleg. p. XIV ss., ubi quomodo se gesserit codicis librarius in eclogis transcribendis accuratius descripsi (cf. l. c. p. XXII al.). et multo etiam maioris essent quam nunc sunt momenti lectiones libri egregii, nisi codex Marcianus class. IV cod. XXIX (olim LXIX 1 et LXXXIX 3) membr. saec. XV vel XVI, qui editionis Trincavellianae (Venet. a. 1536) fundamentum est, aut ex ipso Vindobonensi, ut Wachsmuthio visum est, aut ut mihi videtur ex libro Vindobonensis simillimo derivatus esset. quo factum est ut etiam Vindobonensis libri lectiones longe plurimae quam-

vis neglegentius tamen innotescerent, priusquam ipse codex ea qua decebat cura examinatus est. sciendum est tamen et Marcianum codicem et reliquos Trincavelliani generis quorum magnam copiam in variis bibliothecis asservari alibi enarravi (mus. Rh. XXXIX p. 362 sqq. XXXXI p. 34 sqq.) admodum interpolatos esse. neque igitur consulendi sunt libri proletarii nisi ubi codex Vindobonensis cuius prima folia vetustate absumpta sunt editorem defecerit velut in Teletis sermone περὶ αὐταρκείας vel ubi vulgatae h. e. Gesneri editionum lectionis origo eorum auxilio poterit illustrari. pro exemplo autem horum librorum uti licet ipsa qua etiam Conradus Gesnerus usus est editione principe (Tr.) quippe quae fideliter expressa sit ex codice Marciano teste Eduardo Schwartz (vid. mus. Rhen. XXXIX p. 362) [1]). denique eidem familiae adnumero aliud exemplar interpolatum unde eclogarum collectionem ambitu minorem una cum Callimacho edidit Frobenius Basileae a. 1532 ita inscriptum: Γνῶμαι ἐκ διαφόρων ποιητῶν φιλοσόφων τε καὶ ῥητόρων συλλεγεῖσαι. mentio facienda erat interdum huius syllogae (Frob.), quia usus erat ea Gesnerus auctor vulgatae. de codice Frobenii nunc deperdito aliquid monui mus. Rh. XXXIX p. 361.

Sequitur altera familia quattuor potissimum codices complectens, quorum binos artiore inter se iungi necessitudine cum lectionum similitudine manifestum sit tum peculiari eclogarum ordine ac dispositione. agmen ducat Laurentianus (L) Florentinus plutei VIII n. 22, non quod aetate reliquos superet, nam saeculi XIV eum esse perhibent, sed quia qui condidit hoc sacrorum profanorumque scriptorum gnomologium opus Stobaei ante oculos habuit integrum necdum in duas partes discissum. accuratam libri collationem debeo insigni Rudolphi

1) Interim de cognoscendis huius generis codicibus bene meruit Osc. de Gebhardt in commentatione quae inscribitur 'Eine verlorene und eine wiedergefundene Stobaeus-Handschrift' insertaque est libro gratulatorio in honorem Augusti Wilmannsii edito *Beiträge zur Bücherkunde und Philologie* Lips. a. 1903 p. 243 ss.

Schoellii comitati cuius copiis usus sum etiam in Teletis disputatione Περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι a Wachsmuthio edita Stob. v. II 15, 47 p. 194, 27. ea autem libri capita sive tmemata ad quae Schoell pro suo consilio animum minus adverterat liberalissime mihi eaque qua assolet accuratione collata commodavit Hieronymus Vitelli. notum est librum Laurentianum ut non uno tantum nomine insignem saepius adlexisse hominum doctorum curas, de quibus videatur Wachsmuthii praefatio Stob. v. I p. XXVIII sq. nuper duas codicis paginas photographi arte exceptas typis repraesentandas curavit Vitelli in collectione Florentina fasc. III p. I (a. 1886) tab. XXIV. Quamquam ne quis nimio honore afficiat Laurentianum cautum esse volui prol. in Stob. v. III p. LXVI s. ubi florilegii Laur. conditorem et a genuina eclogarum dispositione licenter recessisse nec abstinuisse interpolatione comprobavimus.

Ab eadem stirpe ac Laurentianus venit codex Bruxellensis (Br) n. 11360 bombyc. isque saeculi XIV, ut asserit Henricus Omont *Catal. des manuscr. grecs de Bruxelles* (Gandavi a. 1885) p. 17, saeculi XV, si audiendus est P. Thomas *le cod. Bruxellensis du florilége de Stobée* (Gand. a. 1876) p. 1. utracunque autem vera est aetatis definitio, liber haud exigui pretii est non modo propter eclogas nonnullas hoc solo superstites sed ideo maxime quod etiam eorum capitum quorum in Laurentiano ratio habita non est bonam partem tradidit quamvis a pristina archetypi copia et integritate longe recedentem. rem explanavi commentatione quae inscribitur *de Stobaei florilegii excerptis Bruxellensibus* Friburgi Brisgavorum edita a. 1882 (cf. etiam mus. Rhen. XXXIX p. 364 sq.) adhibitis praeter collationem quam a. 1876 publici iuris fecerat P. Thomas professor Gandavensis eiusdem viri docti schedulis quibus descripsit codicem perite genuinumque eclogarum ordinem enarravit. interim roganti mihi ille adeo non defuit ut mea causa iteratis curis codicem perlustraret deque locis nonnullis quos denuo inspici desiderassem me certiorem faceret. commemoro id ut gratias ex animo agam liberalitati Thomae ac dili-

gentiae, denique ut ne quis miretur quod scripturae codicis a me adlatae non ubique concordant cum eiusdem viri docti collatione typis expressa.

Restat alterum librorum par manifesto derivatum ex eodem fonte atque LBr sed ut ab ordine eclogarum Vindobonensi paulo minus recedat. praenitet autem et sinceritate et vetustate Escurialensis (M) LXXXX (II. Σ. 14), codex Mendozae, membran. saec. XII ineuntis. excutiendo libro vacavi per tres menses hibernos anni 1882 et 1883 absolvique qua par est diligentia collationem secundi tertiique voluminis editionis Gaisfordianae. eiusdem editionis primum volumen a docto quodam Batavo cum codice olim collatum antequam in Hispaniam proficiscerer mihi cesserat Guilelmus Dindorf. operam igitur dedi ut huius quoque partis ea quibus Batavum illum minorem curam admovisse animadverterem, lemmata inprimis ordinemque eclogarum denuo cum ipso codice quam accuratissime conferrem. ceterum ubi in Dindorfiana collatione acquievi, siglo utor M^d, ubi meam affero, mera littera M codicem significo.

Denique commemorandus est Parisinus (A) cod. graec. 1984 chartac. saec. XIV. qui liber ut plane necessarius est in eis florilegii partibus quas servavit solus perque utilis etiam in eis quibus alius huius classis testis non superest, ita multo minus subsidii adfert eis locis qui uno alterove reliquorum eiusdem familiae codicum conservati sunt. fuit homo haud indoctus qui derivavit hoc apographum ex codice libri Escorialensis perquam simili, hac ille quidem re ab Escorialensis scribae quasi infucata inscitia valde discrepans, sed idem minime contentus mendorum leviorum aliquam partem feliciter sustulisse libidini interpolandi adeo indulsit, ut genuina eclogarum verba multis et temerariis cum mutationibus tum additamentis depravaret. hinc dici vix potest quotiens Augustus Meineke in errorem abductus sit aliosque secum in erroris communionem traxerit laudibus nimirum occaecatus quibus codicem neglegentissime a se collatum ornaverat Thomas Gaisford. abiciendam

autem esse hanc de Stobaei 'optimo codice A' sententiam quam iteratam esse vidi ab homine docto ceteroqui et cauto (*Wien. stud.* X p. 255) ut ex totius florilegii editione sic ex hoc specimine Teleteo est manifestum. in excutiendo codice multum temporis et diligentiae consumpsimus et ego et Segofredus Mekler. primum eum vidi simul cum aliis deterioribus libris dum dego Parisiis a. 1878, deinde per aliquot menses uti licuit libro a Parisiensibus benivole Friburgum transmisso. meam operam in priore parte eaque ceteris impeditiore collocatam indefessa excepit diligentia Mekleri qui maiorem collationis portionem absolvit. lectu liber A haud facilis utpote temporum iniuriis et frequenti usu pessumdatus valdeque detritus in marginibus potissimum quos postea male haud raro reficiebat bibliopega nova charta non sine damno pristinae scripturae superimposita. aegre denique enarres quot quantasque ille legenti paret molestias cum foliis traiectis ordineque eclogarum a 'vulgata' ut par est in prioribus potissimum capitibus prorsus diverso tum manibus correctorum distinctu difficilibus. enixe operam dedimus ut hanc manuum correctricium diversitatem quam fieri poterat accuratissime discerneremus. sed in apparatu ne certis ut in tali re fieri solet minus certa admiscerentur, plerumque satis habui primam codicis manum a ceteris ita distinxisse ut has compendiaria comprehenderem nota A^2.

Ceterum codicum MA perquam simili usus est Macarius Chrysocephalus, cuius rosetum, quod habetur codice Marciano n. CCCCII chartaceo saec. XIV, etiam Stobaei flosculis consitum esse monui Stob. proleg. III p. XXXX ss. praeter hunc librum (Mac.), quem ipse excussi, utile visum est nonnullis locis adhibere Stobaei excerpta gnomologio Parisino oblata quod edidit Leo Sternbach acad. litt. Cracov. class. philol. t. XX (a. 1893) ex codice Paris. Gr. n. 134 suppl., membranaceo in 8°, saeculi XIII. neque enim nego etiam huic libro suam esse utilitatem, quamquam utilitatis maior pars nescio an eo contineatur quod liquido inde apparet quam leviter et licenter posterioris aevi excerptores a genuino Stobaei contextu recesserint.

Hi libri digni sunt visi quorum varia lectione apparatum instruerem. neutra codicum familia careri posse apparebit, ut tamen palma tribuenda sit priori vel quod rectius dixeris sincerissimo eius exemplari S. alterius familiae duo praestantiores sunt libri LM. quanta autem cautione opus sit in Br, inculcavimus quibusdam exemplis quorum numerus nullo negotio poterat augeri de Stob. flor. exc. Br. p. 32. A in eis eclogis quae utriusque familiae communes sunt, vel Trincavellianis non numquam inferior habendus est. quamquam ne hic quidem liber non habet suam laudem.

Per doctos recentioris aetatis homines emendatio Stobaei multum profecit, sed ut neglecta iaceret recensio. nam cum eorum codicum quos adhiberi par erat non nullos velut MBr prorsus ignorarent, reliquos SLA parum accurate cognitos haberent, fieri non poterat quin et stemma codicum quod dicunt obscurum maneret nec 'vulgatae' origo i. e. eius contextus quem praebet Conradi Gesneri editio altera (Basil. a. 1549) et tertia (Tiguri a. 1559) pateret. unde cum sescenti errores in Thomae Gaisfordi editionem (Oxon. a. 1822 Lips. a. 1823—1824) et quae ab illa pendet Teubnerianam Meinekii (a. 1855—1857) irrepsissent, meum esse ratus sum quibusnam subsidiis usus sit Gesnerus in tribus suis editionibus (prima prodiit Tiguri a. 1543) sive in ipso verborum contextu sive in 'margine' quantique facienda sit 'vulgata' quae dicitur diligenter explorare. contigitque mihi, spero, ut quaestionem taedii laborisque plenam ad felicem exitum perducerem (vide mus. Rhen. XXXIX p. 546 ss.). quanto autem emolumento quamque necessaria haec fuerit opera quae sine Escurialiensis libri plena pertractatione perfici omnino non poterat, facile intelleget qui vel unam nostrae recensionis eclogam inspexerit. denique cur testimonia editionis a Nicolao Schow incohatae (Lips. a. 1797) quae diu homines doctos ludificarunt abicienda essent impensa cura ostendi in commentatione musei Rhenani v. XLI p. 27 sqq. sed haec quidem hactenus.

Teletis quae supersunt fluxisse ex epitoma, quam fecit Theo-

dorus nescio quis incertae aetatis[1]), ipse prodit Ioannes lemmate quod exstat II 15, 47 p. 194 W.: ἐκ τῆς Θεοδώρου τῶν Τέλητος ἐπιτομῆς περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι. quamquam fortasse ne Theodori quidem librum suis oculis vidit Ioannes, si quidem fieri poterat, ut Theodori excerpta iam priore quodam gnomologio illi offerrentur. id utut est, libri secundi locum quem attuli Ioannei operis crediderim fuisse primum, quo Theodori excerptis ille usus sit. refragari sane videtur huic sententiae testimonium pinacographi Photiani quippe qui in philosophorum indiculo (p. 44 Elter) nomen Θεοδώρου ita exhibuerit, ut Theodorum a Stobaeo iam in operis prooemio exscriptum esse conicias. sed ambiguum hoc testimonium, cum eodem lemmate (ut taceam de flor. 14, 13. 72, 9. 64, 34 Mein.) etiam Theodorum Cyrenaicum a pinacographo significari appareat. Τέλητος autem nomen in eo ille indicis loco reposuit, ut et ad tertium Ioannei operis librum, quae est probabilis sententia Elteri p. 48, et ad eclogarum locum supra exscriptum salva ratione possit referri. hoc autem loco si primum epitomam adscivisse Ioannes putabitur, commode simul explicatur quod alibi epitomae auctoris non fit mentio. quoniam semel pluribus Stobaeus verbis additoque auctoris nomine indicaverat epitomam, progrediente lectione brevius rem agere ei placuit. lemmata autem quae appinxit posterioribus duobus operis libris haec sunt: III 1, 98 p. 37 H. ἐκ τοῦ Τέλητος περὶ αὐταρκείας III 40, 8 p. 738 H. Τέλητος περὶ φυγῆς flor. 95, 21 Mein. ἐκ τῶν Τέλη-

1) Quod in proecdosi dubitans conieci eisdem temporibus deberi epitomam, 'quibus sectam Cynicam quodam modo revixisse scimus epistulasque personati Diogenis et Cratetis ad commendandam veterum Cynicorum philosophiam conscriptas esse comprobavit Marcks (symb. cr. ad epistologr. gr. Bonn. a. 1883), id est primo p. Chr. n. saeculo', id ut ipse monui firmioribus argumentis fulciri non posse, ita eo concidit quod in dies magis hodie perspicitur cynismum ne duobus quidem saeculis aeram Christianam praegressis, licet qui eum professi sint post Menedemum nominatim afferri nobis nequeant, vix umquam emortuum esse. quod aliis aliqua tenus praecedentibus probabiliter nuper exposuit G. A. Gerhard *Phoinix* (Lips. ed. a. 1908) p. 171 s.

τος ἐπιτομή 97, 31 ἐκ τῶν Τέλητος ἐπιτομή 98, 72 ἐκ τῶν Τέλητος περὶ τοῦ μὴ εἶναι τέλος ἡδονήν 108, 82 ἐκ τῶν Τέλητος περὶ περιστάσεων 108, 83 ἐκ τῶν Τέλητος περὶ ἀπαθείας. quod igitur ultro credere licebat omnes quotquot servavit Stobaeus Teletis eclogas ex eadem Theodori epitoma desumptas esse, id duobus illis locis quibus epitomae mentio etiam in quarto libro inicitur (95, 21. 97, 31) liquido confirmatur. verum perspexit Rose Arist. pseudep. p. 70 postque Rosium Wilamowitz *Philol. Unters.* IV p. 292, ut multis verbis refelli vix opus sit eos qui praeter epitomam etiam integris Teletis scriptis Ioannem usum esse putabant nulla videlicet alia de causa quam quod epitoma non unius cuiusque eclogae titulo commemoratur (cf. Zeller *Phil.*[3] III 1 p. 43 adn. 2 Bergk *Gr. Literaturgesch.* IV p. 530 adn. 62). hoc unum dico quod infra etiam clarius perspicietur, epitomae vestigia non minus aperta esse in eis eclogis quae ἐπιτομῆς nomine hodie carent quam in eis quibus nomen haeret. et rationi repugnat aliam epitomam fingere factam praeter eam cuius mentio inicitur in septem eclogarum numero ter, semel etiam addito nomine auctoris. capitur etiam alius fructus instituta lemmatum comparatione. comparanti veri simile erit ut reliquis sic etiam eclogis 95, 21 et 97, 31 argumenti indiculum olim additum fuisse si non in Stobaei opere certe in epitoma Theodori, velut Περὶ πενίας καὶ πλούτου vel Περὶ πενίας. de Ioannis opere equidem nolim confidentius adfirmare, quia aliunde mihi exploratum est in lemmatis adpingendis illum non certae cuidam formulae se addixisse, immo variare solere inscriptiones modo locupletiora lemmata praetexentem modo breviora, sive quod operis decursu non numquam defatigatus parum sibi fuit constans (quae inconstantia sane multo etiam magis cadit in librarios) sive quod fonte qui in promptu erat celato doctrinam affectabat reconditiorem more compilatorum. ceterum duas has eclogas (95, 21 et 97, 31) ad unum eundemque Teletis sermonem pertinere ante nos dixit Wilamowitz *Philol. Unters.* IV p. 298 idemque ordinem earum invertendum esse perspexit. neque enim credibile esse interlocutorem monuisse paupertatem

nos a philosophia revocare (95, 21 init.) priusquam divitias diceret inopiae et egestatis esse remedium (97, 31 init.). ut igitur in huius sermonis particulis Stobaei ordinem mutare ausus sum, ita in ceteris ab eo recedere nolui, non quod Theodoream dispositionem illius ordine servatam esse mihi persuasum esset nedum Teleteam, sed quia certum extraque dubitandi aleam positum non habui. quamquam si quis non fortuitum esse putabit quod primum nunc locum tenet ecloga Περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι, non nimis ego repugno. adeo apta haec est ad veram viam ac rationem commendandam adque abigendam speciem virtutis fictam et fallacem.

Seclusi duas eclogas quibus Teletis nomen vulgo adscribere solent: flor. 91, 33 et 93, 31 Mein. Gesneri exemplo postquam praeter editores etiam Iacobsii iudicium (cf. lect. Stob. p. 131) Welckerique (*Kl. Schr.* II p. 495) in errorem deductum est, nuper exstitit qui fraudem perspiceret indole eclogarum et compositione cum ceteris comparata. suntque argumenta quibus usus est Wilamowitz l. c. p. 293 sqq. (etsi etiam alia suggerere poterat sermonis diligens observatio) adeo firma et invicta, ut rem actam ageret si quis eam quaestionem denuo retractaret. nihil igitur restat nisi ut unde ortus sit titulus ficticius brevi explicetur. proficiscendum est autem ab eo loco qui ansam erroris dedit, id est flor. 97, 31. huic eclogae cum in libris SMA adscriptum sit ἐκ τῶν Τέλητος ἐπιτομή (ἐν ἐπιτομῇ A), solus Frobenius p. 197 titulum dedit locupletiorem Τέλητος ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ πενίας. iam Gesnerus cum duas alias exstare videret eclogas 91, 33 et 93, 31 adsimiliter inscriptas ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ ἀρετῆς (sic SMA; ἀνωνύμου priore loco add. Tr. p. 484) easdemque auctoris nomine carentes, similitudine illa deceptus Frobeniique libro quo saepe usus est (vide mus. Rh. XXXIX p. 370) quasi munitus etiam has anonymas eclogas tacite ad Teletem rettulit ed. sec. p. 504 mrg. quod quam temere factum sit a viro egregio, cuius opera utiliorne fuerit Stobaeo an perniciosior saepius ambigas, nullo negotio intellegitur. nam primum inscriptio

eclogarum ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ ἀρετῆς a titulo illo qui apud Frobenium legitur flor. 97, 31 Τέλητος ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ πενίας non tenui discrimine discedit. dein certo certius est hunc ipsum titulum ex arbitrio additum esse ab auctore syllogae Frobenianae, non modo quia abest a libris melioribus sed quia unde adsumptus sit neminem fugiet qui meminerit capitulum in quo ecloga apud Stobaeum legitur (97) inscriptum esse σύγκρισις πενίας καὶ πλούτου. denique ne illud quidem obscurum est cur Ioanneum verborum ordinem πενίας καὶ πλούτου inverterit Frobenius. nimirum ideo scripsit ἐκ τοῦ περὶ συγκρίσεως πλούτου καὶ πενίας, non πενίας καὶ πλούτου, aliquanto ut aptius reponi posse videretur ecloga in eo capite in quo ipse eam reposuit (p. 197), id est in capite ὅσα ὁ πλοῦτος ποιεῖ (cf. Stob. flor. 92). fundamento igitur in quo Gesnerus nisus erat subtracto ipsa quoque corruit suspicio. quisnam fuerit auctor eclogarum flor. 91, 33 et 93, 31 nescimus neque id sciri multum interest.

De epitomatore curavi in adnotatione ut legentes ubi e re videbatur monerentur, sed explicatius exponere quam in breviando viam ille inierit et longum est nec ita facile [1]). aliter res se haberet, si vel unius hominis prudentioris de Telete relictum esset testimonium, ad quod veluti ad quandam normam quae supersunt possent revocari. nunc saepius quam velles ambiges quantam neglegentiam imputari par sit ipsi Teleti quantumque eius generis repeti debeat ex opera Theodori (cf. adn. ad p. 10, 8. 35, 5. 48, 11). eo igitur magis cavendum erat ut subtiliter discernerentur varii illi depravationis rivuli qui in Teletis reliquias confluxerunt tamquam in alveum

1) Interim labentis graecitatis aliquot vestigiis prodi epitomatorem coniecit Diels *Deutsche Litteraturz.* a. 1890 p. 1160: 'Auf die Rechnung des Bearbeiters setze ich auch einige lexikalische Spätlinge, die sich mit dem ziemlich reinen Attisch des Teles schlecht vertragen, so ἕως ὅτου 27, 6 [Tel.² 36. 14]; ἐπαίτης 9, 13 [14, 5]; παράφορος 5, 14 [9, 1] u. A', quibus addi voluit P. Wendland *Berlin. philol. Wochenschr.* a. 1891 p. 459 χρᾶσθαι 38, 4; ἵνα Ζεὺς γένηται ἐπιθυμήσει 43, 7; ἐκεῖσε 54, 1; ποῦ 58, 10. sed num recte de Theodoro cogitaverint docti dubitat Croenert *Kol. u. Men.* p. 40 adn. 193.

communem. ut autem in reliquis operis Ioannei partibus sic in Teleteis permulta calamo aberrante scribae corruperunt in quibus corrigendis concertarunt criticorum principes inde a Gesnero, nunc aut illius aut Meinekii Iacobsii Halmii Cobeti recentiorumque acumine verum haud raro repertum est, cum in aliis locis ultra dubitationem ascendere haud contigerit. nec vero magis ad Theodori operam pertinent ei loci, quibus media inter consimiles voces interiecta omiserunt librarii homoeoarctis ut cum technicis loquar vel homoeoteleutis decepti cum in epitomae opinor exemplaribus tum in Stobaei codice archetypo. quo corruptionis genere ut reliquae abundant eclogae ita vix ulla in tam angusto spatio laborat magis quam quae inscribitur Περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι. huic redintegrandae feliciter operam navavit Wachsmuth. tutius autem erit ad eundem fontem revocare turbas quae legenti offeruntur p. 17, 9 καὶ τὸ τελευταῖον ἀποκοτταβίσας κτέ. quam Theodorum reum facere infandi erroris quo Socrates cum Theramene, Critias cum Alcibiade confunditur[1]). ἐξέπιεν igitur vel ἔπιεν vocabulum brevi intervallo repetitum librarii oculos fefellisse putaverim. Teletem vero, si talia inscitiae specimina dedisset, non dubito quin vel adulescentuli quos instituebat fuerint explosuri. denique ne desit tertium genus, scatet hodie Teles emblematis quae unco damnasse Cobeti imprimis laus est et Wilamowitzii. sunt in hoc numero quae ex interpretandi studio fluxerint huius modi ut male aliquid praecipiatur ex proximis vel etiam retrahatur (ἡ πενία, ἄνθρωπε, τί μοι μάχῃ; p. 6, 10 φορτία βαστάζειν καὶ διατραχηλίζεσθαι p. 10, 7 οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου p. 15, 11 aliaque id genus haud pauca). nollem tamen in proecdosi Cobeti (V. l. [2] p. 371) auctoritate et suadela seductus lectoris alicuius sedulitati dedissem talia: ὅρα σχολὴν καὶ παιδίαν·

1) Repeto haec plane sic ut scripseram in procedosi p. XVII. nihilo setius Croenert *Kolotes u. Mened.* (Lips. 1906) p. 42 ita disputavit quasi ego Theodoro dedissem quae de Socrate et Alcibiade narrantur: *Damit man aber nicht glaube, dass der ganze Abschnitt auf Theodoros zurückgehe (Hense S. XVII), sei noch* e. q. s.

ἡμεῖς δὲ κἂν ἄλλον ἴδωμεν, πεφρίκαμεν p. 18, 1 ταχύ γ' ἂν καὶ ἡμῶν τις ἂν κοιμηθείη ib. 3 ὅρα παιδιάν p. 20, 1. nam Teleti haec relinquenda esse interim vidit et E. Norden *Die ant. Kunstprosa* I p. 427 adn. 1 Ps.-Dioneae de fortuna orationis aliquot locis paulo similioribus collatis et ego perspexi recordatus eiusdem generis epiphonematorum legi non nulla etiam in Musonii Epictetique ditribis Teleti perquam cognatis. velut cum verbis ὅρα σχολὴν καὶ παιδιάν· ἡμεῖς δὲ κἂν ἄλλον ⟨θανατῶντ'⟩ ἴδωμεν, πεφρίκαμεν perapte iam comparavit Wachsmuth Arr. diss. Epict. IV 1,166 ὅρα πῶς ὑποκορίζεται καὶ σκώπτει τὸν θάνατον. εἰ δ' ἐγὼ ἢ σὺ ἤμεν, εὐθὺς ἂν . . . εἰ ἄρ' ἔδει διὰ τρώγλης ἐκδύντας, ἐξήλθομεν ἄν. ironiae autem acumine illo (ταχύ γ' ἂν καὶ ἡμῶν τις ἂν κοιμηθείη) tam Musonius utitur p. 54, 15 s. H. ταχύ γ' ἂν ἐκεῖνος (sc. Σωκράτης) ἐν ὀλίγοις λοιδορούμενος ἐχαλέπηνεν, ὃς οὐδὲ ἐν θεάτροις λοιδορηθεὶς ἠγανάκτει quam Epictetus diss. II 16, 38 ταχύ γ' ἂν ὁ τοιοῦτος (sc. qualis tu es) ὑπομείναι φυγήν τινα φυγεῖν εἰς ἅπαντα ἢ τὴν ἐπὶ θανάτῳ κατακριθείς. cf. etiam diss. III 22, 59. eo autem gravioris momenti sunt Epicteti quae adposui verba, quod in eis quae proxime praecedunt II 16, 37 simul comparet imago haec vere Bionea: ᾧ γὰρ ἔξεστιν ἐξελθεῖν, ὅταν θέλῃ, τοῦ συμποσίου καὶ μηκέτι παίζειν, ἔτι οὗτος ἀνιᾶται μένων[1]); οὐχὶ δ' ὡς παιδιᾷ παραμένει[1]) μέχρις ἂν ψυχαγωγῆται; ταχύ γ' ἂν ὁ τοιοῦτος κτέ. cf. Teles p. 16, 2 ss. vides igitur ex ipsis distribarum auctoribus complura adferri posse, quibus sententia Dilesii, qui in benivola libri mei censura (*Deutsche Litteraturz.* 1890 p. 1159 s.) locos illos Theodoro potius adsignari voluit, infirmari possit. nihilo tamen setius hanc sententiam quam commemorarat vir egregius occasione data, non dedita opera corroborarat, ita nuper arripuit Croenert *Kolotes und Mened.* p. 37 ss., ut ubi de se ipse loquens Teles ex nota Graecorum consuetudine numero

1) Qui Epicteti hunc locum comparaverit, sentiet opinor cur Tel. p. 16, 2 ss. in verbis Bioneis οὐχ ὑπομένω, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐδὲν δυσχεραίνων ego utique tuear quod tradunt libri οὐχ ὑπομένω, non cum Croenerto scribam κοὐχ ὑποστένω.

plurali utitur, ibi de Theodori emblematis cogitare non dubitaret, innisus nimirum tamquam vere Theodoreis, quorum indolem modo comprobavimus ipsis diatribis quam maxime congruere. omitto vel ipsam multitudinem locorum, quos isti quasi indicio confisus Theodoro ille vindicare voluit, virum doctum deterrere debuisse a via properantius inita. ut autem uno saltem exemplo patefiat qua ille argumentandi ratione uti non veritus sit, ipsius Croenerti verba adpono haec (l. c. p. 40, ibid. adn. 192): 'er (Theodoros) liebt es in der ersten Person des Plural zu sprechen, die freilich auch bei Teles hie und da vorkommt: [Tel.[1]] 5, 9. 15, 19. 16, 6. 30, 12. Bei 15, 14 lässt sich fragen, ob die Stelle, die ganz aus der Umgebung herausfällt, nicht doch eine Einlage des Theodoros ist; freilich ist 5, 9 ganz ähnlich, so dass dann auch dies für unecht erklärt werden müsste'. quater igitur quinquiesve Teletem de se suique similibus ἡμεῖς pronomine uti vel prima persona numeri pluralis ipse concedit Croenert, sex tamen septemve locis eandem loquendi consuetudinem pro nota haberi vult qua Theodorus a Telete tuto discernatur. poteratne ille apertius, quaeso, significare indissolubili difficultate se ipsum implicuisse? aegre autem ferrem quod doctus vir deque litteris Graecis iam nunc bene meritus tam licenter modestiam migravit, nisi error eius adeo perspicuus esset, ut quae ille Theodoro tribuenda esse edixit ea ipsius potius Teletis esse nunc liquido appareat. Teles, non Theodorus, scripsisse putandus est enuntiata illa ubi prima numeri pluralis persona utitur auctor vel pronomine ἡμεῖς vel ἡμέτερος sim. sunt autem haec p. 6, 9 ὃν τρόπον καὶ ἡμεῖς 8, 6 ἀλλ' ἡμεῖς πάντα μᾶλλον αἰτιώμεθα ἢ τὴν ἑαυτῶν δυστροπίαν καὶ κακοδαιμονίαν κτέ. 11, 4 ἀλλ' ἡμεῖς οὐ δυνάμεθα ἀρκεῖσθαι τοῖς παροῦσιν, ὅταν καὶ τρυφῇ πολὺ διδῶμεν, καὶ τὸ ἐργάζεσθαι .... αι κρίνωμεν καὶ τὸν θάνατον ἐσχατόν [τι] τῶν κακῶν 18, 1 ἡμεῖς δὲ κἂν ἄλλον ⟨θανατῶντ'⟩ ἴδωμεν, πεφρίκαμεν 18, 3 ταχύ γ' ἂν καὶ ἡμῶν τις ἂν κοιμηθείη 23, 3 ἀλλ' ἡμεῖς πολλαχοῦ αὐτοὺς κατορύττομεν καὶ φυγάδες γενόμενοι καὶ ἐν τῇ ἰδίᾳ

μένοντες 23, 7 Λυκῖνος ἐκεῖνος οὐ παρ' ἡμῖν ἐφρούρει κτέ. p. 23, 12 ἵνα μὴ τὰ παλαιά σοι λέγω, ἀλλὰ τὰ καθ' ἡμᾶς 31, 8 ἀλλ' ἔμοιγε δοκεῖ ταῦτα παιδιά τις ἡμετέρα εἶναι . . . καὶ ἡμεῖς μὲν καὶ ἰδεῖν καὶ ἅψασθαι ὀκνοῦμεν, οἱ δὲ σκελετεύσαντες ἔνδον ἔχουσιν ὡς καλόν τι καὶ ἐνέχυρα τοὺς νεκροὺς λαμπάνουσιν· οὕτως ἀντέστραπται τῷ ἡμετέρῳ ὁ ἐκεῖνος τρόπος 41, 5 πρὸς ῥῖγος ἡμεῖς μὲν ζητοῦμεν παχύτερον ἱμάτιον, ἐκεῖνος δὲ διπλώσας τὸν τρίβωνα περιῄει τρόπον τινὰ δύο ἱμάτια ἔχων 58, 12 ὅρα εἰ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν τις γυναικῶν τοῦτ' ἂν ποιήσειεν. ἀλλ' οὐκ ἀσμένη ὄψεται σεσωσμένους; ἐκεῖναι δ' οὔ 60, 1 οὐδ' ἡμεῖς ἐπὶ τῶν ἡμετέρων μερῶν. pertempta huius generis locos, quos consulto indicavimus omnes, paulo studiosius, iam senties Teleteam originem eorum, a quibus exorsi haec disputavimus (18, 1 ἡμεῖς δὲ κἂν ἄλλον ⟨θανατῶντ' addidi⟩ ἴδωμεν, πεφρίκαμεν 18, 3 ταχύ γ' ἂν καὶ ἡμῶν τις ἂν κοιμηθείη), reliquorum exemplorum indole plane confirmari. certe in plerisque videmus scriptorem de se sibique consimilibus pronomen ἡμεῖς ita adhibere, simul ut contra ponat aliorum sive totius alicuius nationis sive singulorum morem moresve meliores quos audientibus commendet. quid igitur mirum quod eius modi exempla imitabilia ille audientes paulo intentius intueri iubet formula ὅρα similibusve adhibitis? hoc ipsum autem dicendi genus paulo fervidius, quo etiam Epictetum uti supra monuimus, vel ideo relinquendum puto Teleti, quia formulae οὐχ ὁρᾷς vel ἢ οὐχ ὁρᾷς a Telete Bioneque identidem positae cognatum diatribarum characteri quam maxime convenit. habes quid de Croenerto sentiam, qui quo fastidio persecutus est enuntiata ab ἡμεῖς incipientia eodem ὅρα illud ita infestavit, ut non modo breviuscula commata (18, 1 ὅρα σχολὴν καὶ παιδιάν 20, 1 ὅρα παιδιάν) sed etiam qualia haec sunt 4, 17 ὅρα πόσα λήψῃ δοκῶν ἀνδρεῖος εἶναι καὶ καρτερικός vel 58, 12 ὅρα εἰ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν τις γυναικῶν τοῦτ' ἂν ποιήσειεν. ἀλλ' οὐκ ἀσμένη ὄψεται σεσωσμένους; ἐκεῖναι δ' οὔ· ἀλλὰ ἀποθανόντας εὐψύχως ἥδιον ⟨ἤκουον ἢ σῳζομένους αἰσχρῶς⟩ spuria esse opinaretur Theodoroque adsignaret.

Crederes autem ubi de 'epitomatore' agitur (nil enim nisi hoc traditum est, dedisse Theodorum τῶν Τέλητος ἐπιτομήν) duodecim fere locis quos Croenert pronomine ἡμεῖς innisus 'epitomatori' adtribuit ceterisque, ubi ὅρα formula illi ansam suspicionis dedit non minus fallacem, numerum effici iam exspectato maiorem. at tantum abest, ut hac multitudine se continuerit Croenert, ut etiam aliis 'additamentis' diatribas Teletis auxisse Theodorum sibi fingeret. haec enim ille praecipit l. c. p. 40 'während dieser (Teles) seinem Ausdruck durch den häufigen Gebrauch von Ellipsen ein besonderes Gepräge verliehen hat, versucht jener (Theodorus) manche Stelle durch Zusätze verständlicher zu machen, aber nicht immer mit Erfolg (vgl. 6, 15. 29, 6 [Tel.² 10, 7. 39, 7])'. 'nicht immer mit Erfolg' — audi quam humane iudicet vir prudens de emblematis istis. scilicet vero si nomine rem appellasset, valde verendum fuit ne tota eius de Theodori interpolationibus opinio concideret. adeo inepta sunt, quae illi imputare non dubitat. interpolatos autem esse duos illos locos, ad quos provocat Croenert, post ea quae scite monuit de Wilamowitz *Antig.* p. 297 adn. 8 postque ea quae ego de altero loco disserui, hodie vix dubitant, certe de hac re inter me et Croenertum dissensio non est, at cur Theodorus istius modi ineptiarum vel inscitiae insimulandus sit, et ego causam frustra circumspicio nec afferre potest Croenert nisi forte suam de Theodoro praeiudicatam opinionem. interpretamenta autem adscribere, ut ab altero loco incipiens generaliter hoc moneam, utique non eius est qui brevitati studens prolixiores alicuius dissertationes in epitomam redegit, immo lectorum alicuius qui ipsius scriptoris dicteriis incitatus si quae explicationem desiderare putabat, ea pro captu suo interpretari conatus est. eius modi interpretamentum addiderit aliquis in margine ut assolent sive intra versus, cui p. 10, 7 γέρων γέγονας· μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου. ἀσθενὴς πάλιν· μὴ ζήτει τὰ τοῦ ἰσχυροῦ interpretatione indigere visa sint verba extrema. adscripsit igitur quibus τὸν ἰσχυρόν quam maxime manifestari opinabatur haec: φορτία βαστάζειν καὶ διατραχηλίζεσθαι. in quibus

ille διατραχηλίζεσθαι ex vicina Diogenis chria praecepit, ut vidit de Wilamowitz. φορτία βαστάζειν autem, nisi de suo Graeculus addidit, haud difficile adsumere poterat ex aliis Stobaei excerptis, nam φορτία βαστάξαι dixit Bryso Ps.-Pythagoreus flor. 85, 15 p. 140, 8 Mein., nec non cognata sunt, ut intra Stobaei libros me contineam, quae leguntur apud Ps.-Archytam Stob. IV 1 p. 87, 7 H. οὕτω γὰρ ὧν (ὧν scripsi: ἂν libri) ὁ μὲν ἰσχυρὸς τῶ βάρεος, ὁ δὲ γυμνάτας τῶ ῥίγεος περιγίνεται. quam inepte autem addita sint verba a Wilamowitzio sublata, non modo ipsa sententia sed orationis inconcinnitate coarguitur, destrueretur enim verbis φορτία βαστάζειν καὶ διατραχηλίζεσθαι inditis manifesta membrorum aequalitas γέρων γέγονας· μὴ ζήτει τὰ τοῦ νέου. ἀσθενὴς πάλιν· μὴ ζήτει τὰ τοῦ ἰσχυροῦ. quonam iure nos, quaeso, Theodorum tantae imbecillitatis incusabimus? sed ut de altero quoque loco verbulum addatur (Tel. p. 39, 7 ss.), vel eo fastidii processit Croenert, ut ignorantiae Theodorum insimularet qua non poterat esse maior. Crates Cynicus famoso isto emblemate, quo de infra agemus, quasi εἰς Ἀκαδημίαν truditur. vel talem errorem, si Croenerto (l. c. p. 40) credes, commisit Theodorus. quid multa? ex epitomatore interpolatorem fecit Croenert. num recte hoc ille, eo ego vementius dubito, quod cum Stobaei librorum memoria nobis conflictandum est cuiusvis generis mendis mirum quantum commaculata. hanc de Stobaei libris observationem, quamvis omnibus fere Stobaeani operis partibus confirmetur, frustra ita infirmare studet Croenert, ut ubi obiter Stobaei mentionem facit (l. c. p. 37 adn. 191) non nisi ipsius Ioannis vel vetustioris gnomologi auctoris rationem habeat. quasi in hac memoria propaganda umquam desisset pullulare interpolatio. ut Teletis diatribis scriptionem cognatam afferam, percurre si placet apophthegmata chriasve in florilegio conservatas, et videbis insigni quae haud raro inter optimos codices intercedit discrepantia quod modo monui comprobari. sed satis sit viam ac rationem, quam in his quaestionibus ingredi sibi licere existimavit Croenert, luculentioribus aliquot exemplis illustrasse. neque enim verendum est ne quae

sibi ille de Theodoro persuasit persuasurus sit etiam aliis. certe reprobavit interim Croenerti de locis supra tractatis opinionem etiam G. Ad. Gerhard *Phoinix von Kolophon* (Lips. ed. a. 1908) p. 67 adn. 1. reliqua autem quae protulit Croenert, neque enim desunt quae ille perutiliter observarit, brevius nos suoque loco commemorabimus. procul dubio autem exstant loci, quibus ipsum epitomatorem vulnera intulisse satis sit probabile. non premitur hoc iudicio modulus sermonum quorum fragmina hodie exstant et ambitus ita diversus, ut sermonis Περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι vel eius qui Περὶ περιστάσεων inscribitur pauca enuntiata conservata sint, ampliora legantur tmemata et latiora reliquorum. neque enim divinari hodie poterit, quibus finibus suum excerpendi laborem circumscripserit Ioannes. sed ex. gr. haec si legeris p. 52, 2: ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα παντοδαπὰ ποιεῖ πρόσωπα, ναυαγοῦ, πτωχοῦ, φυγάδος, ἐνδόξου, ἀδόξου, ubi unum illud ἐνδόξου per se aptissimum uberioris olim disputationis tamquam testimonium relictum est, breviatoris tibi in mentem veniat necesse erit, cum praesertim p. 5, 4 ex eodem fonte hoc servatum sit: καὶ γὰρ αὕτη (sc. ἡ τύχη), φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια, ὁτὲ μὲν πρωτολόγου, ὁτὲ δὲ δευτερολόγου περιτίθησι πρόσωπον, καὶ ὁτὲ μὲν βασιλέως, ὁτὲ δὲ ἀλήτου. multa vero coartasse coarguitur epitomator vel resecuisse in sermone Περὶ φυγῆς tam in initio diatribae, ubi probabilis est observatio Weberi, quam in fine, quode infra agam accuratius. cum autem primo huius eclogae enuntiato eorum quae a Telete in utramque partem disputata erant Theodorus saltem summam scriptam reliquerit, sub finem eclogae ita festinavit, ut manifesto nunc hiet oratio. quodsi quis putaverit uno alterove eorum locorum, ubi epitomatoris mentionem inieci in adnotatione, librariorum potius neglegentiam vel Stobaei incusandam esse, equidem non multum adversabor. nolim tamen idem obliviscatur multitudinem lacunarum maiorem certe videri quam quae soli Stobaeo vel librariis imputari possit. nec desunt loci quos quomodo ad sanum revocemus ex artis praeceptis hodie frustra circumspiciamus, ut veri sit

similius epitomatoris festinantiam esse in culpa. ut nunc res se habet, eam mihi legem imposui, ut ne quid removerem quod epitomator admisisse videri poterat calamo fortasse promptior quam ingenio, nisi quod hiatus in ipso quoque verborum contextu non numquam significavi commodo legentium inserviens. cavi igitur ne membrorum iuncturam clariorem redderem, etiam ubi in promptu erat, retinenda putavi ex gr. διὸ ἅπερ λέγω p. 11, 10 καὶ ὅπερ Διογένης p. 12, 8 alia quamvis parum commode dicta. sprevi fulcra particularum velut δ' istud quod post Θεμιστοκλῆς p. 22, 14 ex interpolato Parisino codice 1985 invexit Meineke, item δὲ quod vulgo scribunt post Λακεδαιμόνιοι p. 28, 7 ubi abest particula a libris SMA[1], οὖν post ὅρα quod inculcant ex A interpolato p. 58, 12. neque levigare volui duritiam siqua erat orationis (cf. p. 8, 9 adn. 10, 8 adn.) vel inaequalitatem. nam cum id ageret Theodorus, ut in epitomam coartaret diatribas, non hercle mirum quod ad formam non nihil desideratur peritque interdum concinnitas, quam ne Teletis quidem oratio usque sprevit familiari sermoni finitima. in proclivi autem est suspicari non numquam dialogi formam in causa fuisse Theodoro cur a philosophi verbis recederet. apte sic explicatur, quod cum in fragmento Περὶ τοῦ δοκεῖν καὶ τοῦ εἶναι et in sermone Περὶ ψυγῆς dialogi ratio diligenter servata sit, rarius interponuntur verba oblocutoris in reliquis. huc si quis praeter alia exempla breviorem Περὶ πενίας tractatum rettulerit, vix dissentiam. nam cum initio eius refelli videas verba adversarii secunda verbi persona adhibita (οἴει — ὁρᾷς — δείξειας — ὁρᾷς — ὁρᾷς), mox ubi eiusdem interlocutoris aliud argumentum refutatum iri speres, pergitur sic prioribus parum accommodate p. 47, 10: φασὶ δὲ καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν ἐντιμοτέρους εἶναι μᾶλλον τοὺς πλουσίους τῶν πενήτων. οἱ τοιοῦτοι δέ μοι δοκοῦσιν κτέ. nolim tamen hoc loco censeri abundantiam quandam sermonis (ἐντιμοτέρους εἶναι μᾶλλον cf. Schmid *Attic.* I 92. 195 s.), cum alibi dixerit Teles iusto paene brevius: πόσους γὰρ οἴει δι' εὐπορίαν (sc. μᾶλλον) ἢ δι' ἔνδειαν κωλυθῆναι σχολάζειν; (p. 45, 3). ex eadem enim radice haec crevisse putanda sunt. est verborum

haud raro parcissimus Teles (cf. ναυαγὸς γέγονας· εὖ τὸν ναυαγόν sc. δεῖ ἀγωνίζεσθαι p. 52, 4 aliaque id genus permulta) idemque copiose non numquam et abundanter loquitur. utitur leviore ac remissiore genere dicendi, ne dicam neglegentiore, quodque propius accedat ad saturam. eo magis tolerandum duxi ellipsis genus quale hoc est: κἂν ξένος (sc. ᾖ), κἂν ἐξ εἵλωτος . . . κἂν ἐξ αὐτοῦ τοῦ βασιλέως p. 28, 9 sq. κἂν ὁ εἷς ποὺς κυλλός p. 60, 3, quamquam alibi plenius legitur κἂν ᾖ σαπρὰ κτέ. p. 27, 3 κἂν ἀκάτιον ᾖ ib. 4. nec offendor hac brevitate satis inconcinna: ἡ πενία κωλύει πρὸς τὸ φιλοσοφεῖν, ὁ δὲ πλοῦτος εἰς ταῦτα χρήσιμον p. 45, 2: cf. Bonitz ind. Ar. p. 239 v. *ellipsis*. quod tamen semel inserui εἰμί, quo nimis aegre caremus, post εἰ μή p. 28, 5, vix mirari debuit Wendland. abundantiae sermonis exempla adferri possunt haud pauca non modo ex Telete sed ex fontibus Teleteis: ἐκ σαπροῦ καὶ ῥέοντος συνοικιδίου dixit Gorgiás Stob. flor. 118, 29 Mein., σαπρὰ καὶ ῥέουσα καὶ καταπίπτουσα (sc. οἰκία) Teles auctore fortasse Bione p. 27, 3; πανταχόθεν ὁμοία ἐστὶν (aut ἴση aut ἡ αὐτή sim.) ἡ εἰς ᾅδου κάθοδος vel sim. dixerunt multi (vide Sternbach gnom. Vatic. 115), πανταχόθεν ἴ σ η κ α ὶ ὁ μ ο ί α ἡ εἰς ᾅδου ὁδός Aristippum dicentem fecit Teles p. 29, 13. lepida exaggeratione coniunguntur εἰς φραγμοὺς καὶ βόθρους καὶ βόρβορον ubi Bionis ni fallor vestigia legit p. 36, 12, στρέφων καὶ μέλλων καὶ τρέμων, ὥσπερ οἱ παραλελυμένοι τὰς χεῖρας Crateti tribuit p. 38, 7. tria synonyma iuncta habes p. 60, 8: ἀνδρωδῶς καὶ θαρσαλέως καὶ μὴ βαρέως φέρειν. nolui igitur addubitare haec: ἄτυφοι γενόμενοι καὶ ἐπαῖται καὶ διαίτῃ εὐτελεῖ καὶ λιτῇ δυνάμενοι χρήσασθαι p. 14, 4 sq. nec fere tutius ad epitomatorem, nedum ad librarios referri licet alias stili proprietates quae cum fructu tractari non poterunt, nisi simul plenius exponetur de Teletis non nimis scrupulosi auctoris genere dicendi. id ego non persequor[1]). de epitomatore hoc unum addo quod si summam spectamus vero con-

1) Interim circumspecte eaque qua par est cura hanc materiam paene exhausit Henricus de Mueller in dissertatione quam 'De Teletis elocutione' publicavit Friburgi Br. a. 1891.

gruenter dici posse persuasum habeo, orationem Teletis a Theodoro non tam mutatam esse quam mutilatam. locum certe maiorem pauculorumve verborum spatium excedentem quem epitomatorem sua Minerva inseruisse demonstrari possit, non repperi. recte fere de Wilamowitz p. 293: 'hat auch der doppelte excerpierungsprocess das individuelle meist (?) abgestreift, so ist doch zum glück n i c h t s f r e m d a r t i g e s b e i g e m i s c h t'. si mihi credes, ne verba quidem eximenda sunt quae leguntur p. 9, 1: παράφοροι δὲ πολλοὶ οὐχ ἑαυτοῖς ἀλλὰ τοῖς πράγμασι τὴν αἰτίαν ἐπάγουσιν. secludi voluit ea Wilamowitz, cui assensus est nuper G. A. Gerhard *Phoinix* p. 66, sed Telete haud indigna erunt, modo pro soloeco παράφρονοι restituatur verum, sive παράφοροι id erat ut visum est Meinekio sive aliud. leguntur enim vix minus recte quam quae dixit Cicero Cat. mai. c. 5: *sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt.* fac autem post ἀλλ' ἐγὼ αὐτή p. 8, 10 ipsum Teletem paulo fusius explicasse dictum κακίας (cf. Plut. an vitios. p. 498 D), iam intellegetur spero, cur sententia παράφοροι κτέ., qua nunc sane Diogenis Bionisque dictum minus commode interrumpitur, denuo post 8, 6 inculcetur verbis mutatis, ut hoc quoque loco coartatam esse orationem ab epitomatore veri similius sit quam interpolatam. ceterum e p i t o m a e etiam ita rationem habui, ut in rebus orthographicis non nullis et grammaticis aequabilitati non nimis studerem. scripsimus igitur cum codicibus ἐβούλου p. 19, 10. 25, 14 ἐβούλετο 17, 2 ἐδύνατο 48, 8, sed reliqui formam ἠδύνατο quam semel exhibent libri p. 40, 3 (cf. Meisterhans *Gr.*[3] p. 169). nolui oblitterare vestigia formae χρᾶσθαι ter in libris servata (p. 37, 7. 38, 4. 9). neque enim credideriim χρᾶσθαι induxisse librarios[1]), sed χρῆσθαι ubi inveni, retinui (p. 6, 7. 23, 15. 24, 9. 36, 10) nec non χρῆται p. 13, 12. πεινᾷ bis legitur p. 7, 10 et 50, 1, item διψᾷ p. 8, 1 et 50, 2. nolui Gesnero obsequi ἐπαινέσειε scribenti p. 14, 1 ubi M[d] ἐπαινέσαι habet, immo recte ἂν δόξαι rescripsit Halm p. 29, 8 li-

1) cf. E. Mayser *Gramm. d. gr. Papyri aus der Ptolemäerzeit* (Lips. a. 1906) p. 347.

brorum vestigia secutus, sed servavi δείξειας p. 45, 8 et ποιήσειεν p. 59, 1.

Teletis nullam hodie memoriam exstare nisi Ioanneam iam supra monui. eam igitur perquirere debet qui de aetate hominis ac vita, de patria et domicilio certiora volet efficere. ac postquam quasi ex inferis revocavit Teletem Niebuhr *Kl. Schr.* I p. 451 sqq. gravioribus aliquot epitomae locis in controversiam vocatis, curiosius et cupidius hae quaestiones tractari coeptae sunt cura Wilamowitzii. ego paucis me contineo, nolo autem huius modi telas dedita opera quasi retexere, quia pertexi posse eas despero ante quam quos fontes adhibuerit Teles paulo clarius perspectum sit. nunc ex huius natura scriptionis verendum est ne ad Teletis res explorandas saepius utare locis quos ille ex vetustioribus libris delibaverit. itaque operae pretium facturi esse nobis videmur, si de fontibus Teletis quos hucusque viri docti non tetigerunt nisi praetereuntes, infra accuratius agere coeperimus. interim hoc non reprehendetur, quod aliquot eorum locorum iam praecipio quos ad temporum rationem aliasque res Teleteas explorandas eximie valere arbitrantur. ut a re certa exordiar vel probabili, quonam tempore Teles sermonem scripserit Περὶ φυγῆς, eruit Droysen. terminus enim post quem illum composuit, est fuga Hippomedontis Lacedaemone extorris facti circa annum 241. idem interim Thraciae praefectus erat a Ptolomaeo III: ὁ νῦν ἐπὶ Θρᾴκης καθεσταμένος ὑπὸ Πτολεμαίου. 'Was von Hippomedon erwähnt wird, zeigt, dass diese Schrift des Teles nach 239, nach Ol. 135, 1 geschrieben ist': sic Droysen *Epig.*[2] I p. 407 adn. 2. Droysenum secutus est de Wilamowitz l. c. p. 302 sqq., sed ut eis, quae recte intellexerat, non nulla admisceret quae comprobari non possunt. eo autem devenit suis ductus Meinekiique obsecutus rationibus, ut sermonem Περὶ πενίας iam viginti fere annis ante conscriptum esse sibi persuaderet. commemorari enim Cleanthem Stoicum, commemorari Ptolomaeum (sc. Philadelphum). sed audi ipsum disserentem p. 300: *dagegen gibt diese erwähnung der beiden stoiker, wie Meineke*

gesehen hat, eine datierung der Teletischen schrift. zwar Ζήνων ἔφη beweist nicht unbedingt, dass er tot war; es ist aber doch das nächstliegende, und wenn grade ein schlimmer krieg war, offenbar einer der jeden für gut und leben fürchten liess, so kann man nur an den chremonideischen denken; dazu stimmt, dass es heisst, wer seinen sohn reich machen wolle, der schicke ihn zu Ptolemaios. die schrift ist also in den letzten sechziger jahren des dritten jahrhunderts verfasst . . . ut singula perlustremus, nihil effici verbis Ζήνων ἔφη Wilamowitzium haud praeteriit praestatque tacere hodie de formulis φηρίν ἔφη, quibus non recte olim usus erat Niebuhr (*Kl. Schr.* I p. 461): in Teleteis quid valeat id genus argumentandi, sobrie monuit Droysen *Epig.*[2] I q. 407 adn. 2. sed videamus de Cleanthe. verba Teletis haec sunt p. 46, 15: ἢ πάλιν οἰκέται μὲν οἱ τυχόντες αὑτοὺς τρέφουσι καὶ μισθὸν τελοῦσι τοῖς κυρίοις, ἐλεύθερος δὲ ἀνὴρ αὑτὸν τρέφειν οὐ δυνήσεται; ἐπεὶ καὶ τῶν τοιούτων φροντίδων μοι δοκεῖ ὁ ἄσιος (sic SMA) λελυμένος πολὺ εὐσχολώτερος εἶναι τῷ μηδὲν ὑπάρχειν. οἷον δήπου ἐν τῷ νῦν πολέμῳ περὶ οὐδενὸς φροντίζει ἢ περὶ αὑτοῦ, ὁ δὲ πλούσιος καὶ περὶ ἑτέρων. ubi quod in libris est ὁ ἄσιος mutatum voluit in ὁ Ἄσσιος Meineke Philol. I p. 373 memor ut videtur versus Timonei cui feliciter reddidit λίθος Ἄσσιος pro φίλος Ἄσσιος. idem suspicatus est Cobet apud Hirschigium misc. philol. (Trai. ad Rh. ed. a. 1849) p. 195. adeoque invaluit haec de Cleanthe opinio, ut ea maxime innisus inter Stoicos Teletem referret Zeller *Phil.*[3] III 1 p. 43 adn. 3 nec dissentiret Bergk *Gr. Literaturgesch.* IV p. 530. at falsam esse Meinekii quamvis speciosam coniecturam recto iudicio exposuit Madvig adv. cr. I p. 721. primum enim negavit Cleanthem significari solere solo patriae nomine. quam observationem non infirmari Timonis ludibrio (cf. Wachsmuth sill.[2] p. 128) nemo non videt. ineptum autem, si mihi credis, hoc dicendi genus in Telete, cui ne cum Zenone quidem res sit nisi propter Cratetem (p. 46, 6). dein hoc ille addit argumentum nequaquam leve aut infirmum: 'nemo unus sive Stoicus sive alius philosophus in hac generali

(praesentis temporis) sententia appellari poterat, sed homo pauper universe appellandus erat . . . contrarius statim ponitur ὁ πλούσιος.' est autem tam manifesta membrorum quam Meineke efficit inconcinnitas, ut ipsum minime praeterierit. nam cum ὁ πλούσιος iam stare non posse intellexisset, exempli causa ὁ Λούσιος pro ὁ πλούσιος proposuit nihil videlicet aliud comprobans quam alterum quoque emendandi conatum maxime fuisse irritum[1]). quid multa? scribendum quod reposui: ἐπεὶ καὶ τῶν

1) Non probabilius est Croenerti conamen, qui ab Assio Meinekii profectus pro ὁ πλούσιος potius ὁ Πιτανᾶτος substitui iubet, quo Arcesilan significatum esse opinatur *Kolotes und Mened.* p. 49. ob id ipsum autem vituperatus ab Alfredo Koerte (*Goett. G. A.* 1907 IV p. 258) coniecturam suam denuo nuper defendere studuit mus. Rhen. LXII (1907) p. 620 ss., non feliciore tamen successu. nolim ea repetere quibus iam Koerte debilitari docuit hanc opinionem, sed ut appareat quantis Croenerto machinis opus fuerit ad eam commendandam, sufficit ipsius viri docti verba adscribere haec (l. c. p. 622): 'wenn man ein Glossem nicht annehmen will, da doch Ἄσσιος sich gehalten habe, so kann z. B. Πιτανᾶτος bei den zahlreichen (?) Umarbeitungen und Umschreibungen zu Schaden gekommen und dann durch einen nachdenkenden Leser ganz beseitigt worden sein, jedenfalls aber reicht der gegebene Ἄσσιος aus, einen solcher Mittelwege, die sich in den meisten Fällen nicht sicher verfolgen lassen, anzunehmen'. vides quam sibi ipse contradicat Croenert. nam legentium si quis vocem πλούσιος invexit, consideratior praesertim, utique veri similius est ἄβιος eum legisse quam ἄσιος vel ἄσσιος. at quaerit Croenert (l. c. p. 48) cur pauper non et ipse aliorum quoque cura inquietari possit. responsio est facilis profecto. quia pauper non ut dives tot aliorum quoque ventres pascit sed suum, quia non circumstat eum turba servorum, quia non amicorum eum cura sollicitat asseclarumque qui divitis potentisve tutelae se committant: ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν καὶ πόλιν καὶ σὲ στένω. permirum autem est quod propter verba ἐν τῷ νῦν πολέμῳ scriptori certam personam commemorandam fuisse opinatur Croenert (mus. Rhen. l. c. p. 622), quasi non comprobet optime sententiam suam Teles generaliter dicens etiam bello illo manifestum fieri pauperis sortem securiorem esse quam divitis. quod denique commonet Croenert (l. c. p. 622) apud Philodemum, Dionem, Plutarchum, Arrianum vocem ἄβιος quaeri frustra, id si verum sit non urgebit qui meminerit offerri vocabulum a Luciano, scriptore etiam veterum Cynicorum lectione instructo. i nunc et crede Croenerto Πιτανᾶτος scribere licere salva ratione pro πλούσιος!

τοιούτων φροντίδων μοι δοκεῖ ὁ ἄβιος λελυμένος κτέ. diu autem ante Madvigium idem eodem anno 1841 quasi certatim restituerant duo viri docti, quorum nomina in adnotatione apposui. et digna sunt Halmii verba quae commentarii loco adscribantur: 'ὁ ἄβιος i. e. ὁ τὸν ὡρισμένον βίον οὐκ ἔχων, ut verbis utar Apollonii in lex. Hom. s. v. adde Luc. dial. mort. 15, 3 ὁρᾷς τὸν Ἡρακλέα καὶ τὸν Μελέαγρον καὶ ἄλλους θαυμαστοὺς ἄνδρας, οἳ οὐκ ἂν οἶμαι δέξαιντο ἀνελθεῖν, εἴ τις αὐτοὺς ἀναπέμψειε θητεύσοντας ἀκλήροις καὶ ἀβίοις ἀνδράσιν. ἄκληρος et ἄβιος in hoc loco sumpta sunt ex Homeri Odysseae XI 490, ubi ait poeta:

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ
ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη.'

eo vero minus offensionis haec vox habet in Telete, quod scribenti obversabatur etiam locus Euripidis in eodem sermone pro testimonio adscitus (p. 48, 11) Suppl. 875, ubi Eteoclus laudatur τῷ βίῳ μὲν ἐνδεής pauloque ante Capaneus ᾧ βίος μὲν ἦν πολύς. tantum de 'Assio' Meinekii[1]).

Restat de Ptolomaeo locus, ad quem provocat de Wilamowitz. legitur in altera de paupertate sermonis parte p. 39, 7: διὸ καὶ εἰ βούλει τὸν υἱόν σου τῆς ἐνδείας καὶ σπάνεως παῦσαι, μὴ πρὸς τὸν Πτολεμαῖον πέμπε ὅπως χρήματα κτήσεται· εἰ δὲ μή, ἀλαζονείαν προσλαβὼν ἀπελεύσεται, περανεῖς δὲ οὐδέν· ἀλλὰ εἰς ἀκαδημίαν πρὸς Κράτητα· ἐκεῖνος ἠδύνατο ἐξ ἀπλήστων καὶ πολυτελῶν ἐλευθερίους καὶ ἀφελεῖς κατασκευάζειν. καὶ Μητροκλῆς δὲ ἐκεῖνος ἔφη, ὡς ἔοικεν, ὅτε μὲν παρὰ Θεοφράστῳ καὶ Ξενοκρά-

1) Verum esse ὁ ἄβιος interim haud paucis persuasum est, velut Arnimio *Gött. Gel. Anz.* 1890 n. 4 p. 126, P. Wendlando *Berl. philolog. Wochenschr.* 1891 p. 457, Susemihlio *Gesch. d. gr. Litt.* I (a. 1891) p. 42 adn. 22, Alfr. Koertio *Gött. Gel. A.* 1907 n. 4 p. 258. num autem recte ὁ ἀστεῖος nuper proposuit E. Schwartz (cf. Koerte l. c. p. 258 adn. 3)? Stoicorum enim terminus est ὁ ἀστεῖος vel οἱ ἀστεῖοι, non Cynicorum. conferas si tanti sit quae monui apud A. Rainfurt *Zur Quellenkritik von Galens Protreptikos* Friburgi Br. a. 1904 p. 26 s. aliam huius vocis notionem nec tamen nostro loco aptiorem nuper tetigit P. Wendland *Anaximenes von Lamps.* p. 53.

τει σχολάζοι, πολλῶν αὐτῷ ἐξ οἴκου ἀποστελλομένων φοβεῖσθαι μὴ τῷ λιμῷ ἀποθάνοι, καὶ ἀεὶ σπανίζειν καὶ ἐνδεὴς εἶναι· μεταβὰς δὲ ὕστερον πρὸς Κράτητα κἂν ἄλλον προστρέφειν οὐδενὸς πεμπομένου. ut res levioris momenti praetermittam, primum manifestum est ferri non posse verba εἰς ἀκαδημίαν (Ἀκαδήμειαν Meineke) πρὸς Κράτητα non solum quod nusquam alibi de Cratete Academico sermo est apud Teletem, semper de Cynico, sed quod etiam in eis, quae de Metrocle narrantur, manifesto respicitur Cynicus. primus videtur sensisse hanc offensionem Ioannes Petrus Rossignol in libello Lutetiae edito a. 1830 hodie paene ignoto, qui inscribitur *fragmenta Bionis Borysthenitae philosophi.* nam latine locum Teletis interpretatus p. 15 vertit *verum ad Cratetem* verbis εἰς ἀκαδημίαν tacite remotis. quam rationem primo quidem adspectu paulo violentiorem tolerari tamen ac probari posse putabimus, modo meminerimus ad exemplum silvarum Academi subinde etiam aliis locis, ubi litteris vel philosophiae incumbebant, academiae nomen inditum esse, ut recte monet Allatius ad epistul. Socrat. p. 278 ed. Orell. huius significationis memorem adscripsisse puto hominem Byzantinum 'in academiam' hoc est ad studia[1]). eademque suspicio inter legendum suborta est Buechelero. εἰς ἀκληρίαν temptat Wachsmuth. Wilamowitzii coniectura εἰς Καδμείαν

1) Verba εἰς ἀκαδημίαν interim defendi posse opinatur R. Hirzel *Der Dial.* I p. 376 adn., modo si verba διὸ καὶ εἰ βούλει τὸν υἱόν σου — καὶ ἀφελεῖς κατασκευάζειν sic ut quae antecedit avari cum hydropico comparatio (p. 39, 3—7) Bioni adsignentur. Bionis autem illa verba esse videri et ipse olim scripseram (fere ut infra legitur in contextu p. XXXIV s.) nec ego nunc nego. at quomodo hac via difficultas quae agitur tolli possit circumspicio frustra. nam eis quae Bionem secutus modo scripserat Teles si subiecisset quae nunc leguntur καὶ Μητροκλῆς δὲ ἐκεῖνος κτέ., mirum quantum ineptiret. Academicum enim etsi modo commendaverat Cratetem, paulo post potius admiraretur Cratetem Cynicum. accedit vero quod laudes quas modo academiae habuerat, ipse detereret si in proximis Xenocratem Academicum sic ut impugnat impugnaret. perseverabo igitur suspectare verba εἰς ἀκαδημίαν, et suspectavit interim consentiens nobiscum Diels poet. philos. p. 212. nec aliter iudicavit Susemihl *Gesch. d. gr. Litt.* I p. 29 adn. 79. Webero autem, quod miror, adsentitur Croenert p. 178.

speciosa est, si litteras spectas, si loci naturam, parum apta. ecquis enim Cadmiae notionem inferet, ubi contra ponuntur Ptolomaeus et Crates, id est rex omnibus opibus affluentissimus et philosophus mendicus? ut leniter dicam, ironiae non nihil inesset verbis εἰς Καδμείαν ipsi consilio quod datur valde nociturum. antithetorum rationem non magis nuper curavit E. Weber *Leipz. Stud.* X p. 214 adn. 1. cum aliam emendandi viam commendaret eam quidem indicatam olim a Nic. Posthumo: μὴ πρὸς Πτολεμαῖον πέμπε . . . περανεῖ δὲ οὐδέν. — Ἀλλ' εἰς Ἀκαδήμειαν; — ⟨Μηδ' εἰς Ἀκαδήμειαν, ἀλλὰ⟩ πρὸς Κράτητα κτέ. quod quam inconcinne sit positum, vel inde dispicitur, quod in eis quae deinceps sequuntur non modo de Xenocrate sermo fit, sed etiam de Theophrasto Peripatetico. sed deserta castra expugnarem, si multis verbis refutare vellem, quae sibi ipsi non satis facere concessit Weber. altera enim inest loco difficultas, quam probe ille perspexit l. c. p. 215. apparet enim Cratetem commemorari a Telete tamquam mortuum. nam ut supra dicitur p. 14, 4: ἢ οὐ Κράτης καὶ Διογένης πένητες ἦσαν; καὶ πῶς ⟨οὐ⟩ ῥᾳδίως διεξήγαγον; sic hoc loco pergitur: ἐκεῖνος ἠδύνατο ἐξ ἀπλήστων καὶ πολυτελῶν ἐλευθερίους καὶ ἀφελεῖς κατασκευάζειν. explicetur igitur velim quo modo salva ratione inter se iungi potuerint ἀλλὰ πρὸς Κράτητα (sc. πέμπε) et ἐκεῖνος ἠδύνατο — κατασκευάζειν. latius patere corruptelam respondet Weber, 'et plura interciderunt (epitomatoris culpa?) quam quae ego per argumentandi causam temptavi'. at aperitur ni fallor via scrupulum removendi impendio expeditior[1]). sublata erit enim difficultas, si verba διὸ καὶ εἰ βούλει — πρὸς Κράτητα Teletem transtulisse credemus ex alius scriptoris libro, ea autem quae subsequuntur ἐκεῖνος ἠδύνατο ἐξ ἀπλήστων καὶ πολυτελῶν ἐλευθερίους καὶ ἀφελεῖς κατασκευάζειν ipsum adiecisse commentarioli instar. proba hanc rationem, et desines mirari quod antea mirum non videri non poterat ad adulescentulos dixisse

1) Interim non displicuisse video rationem meam Arnimio *Gött. gel. Anz.* 1890 n. 4 p. 126 vel P. Wendlando *Berl. phil. Wochenschr.* XI 1891 n. 15 p. 457.

Teletem εἰ βούλει τὸν υἱόν σου τῆς ἐνδείας καὶ σπάνεως παῦσαι κτέ. alius scriptoris verba adferuntur. confirmatur vero sententia etiam eis quae ad commendandam Cratetis disciplinam iam narrantur de Metrocle atque ita narrantur, ut ex alieno fonte suum pratum irrigasse Teletem appareat. quod spero concedes, si quae de Metrocle narrat Teles p. 31, 1: καὶ ἐκάθευδε τὸ μὲν θέρος ἐν τοῖς ἱεροῖς, τὸν δὲ χειμῶνα ἐν τοῖς βαλανείοις comparaveris cum Plutarcho an vitios. ad infelic. suff. p. 499 A: τύχη, πενίαν ἀπειλεῖς; καταγελᾷ σου Μητροκλῆς, ὃς χειμῶνος ἐν τοῖς προβάτοις (ἐν τοῖς πριβάτοις, i. e. *in balneis privatis* prop. Vsener) καθεύδων καὶ θέρους ἐν τοῖς προπυλαίοις τῶν ἱερῶν κτέ., vel si eorum recordaberis, quae ipse Teles verbis de Metrocle his (p. 41, 7) εἰ ἀλείψασθαι χρείαν ἔχοι, εἰσελθὼν ἂν εἰς τὸ βαλανεῖον τῷ γλοιῷ ἠλείψατο plane congruenter supra scripserat p. 25, 3 fontis eiusdem haud dubie invitatus scatebris idque loco non aptissimo. denique Crates et Theophrastus lepide contra ponuntur in historiola a Laertio narrata VI 90, ut in proclivi sit suspicari in eodem libro, quo quanti facienda esset disciplina Cratetea luculenter demonstratum erat, etiam consilium illud datum esse Cratetem sectandi. quisnam fuerit scriptor ille, quo usus est Teles, ipsene Metrocles, cuius Χρεῖαι commemorantur a Diogene VI 33, an Bio, cui ipsi quoque et cum Theophrasto et cum Xenocrate simultas videtur intercessisse (cf. Ps.-Metrod. περὶ αἰσθήσεων col. XV Diog. Laert. IV 10 Gomperz *Ztschr. f. d. öst. Gymn.* 1872 p. 27), paulo confidentius hodie quam in procedosi, ubi rem in ambiguo reliqueram, ita deciderim, ut Bionem exscriptum esse putem, cum praesertim proximo enuntiato Bio commemoretur etiam nominatim p. 39, 3 eiusque nomen septiens a Telete citetur, semel Metroclis. cf. etiam p. XLVII. utut autem iudicabitur, locus alienae originis suspicione adeo non liber est, ut ad tempus sermonis de paupertate definiendum nihilo sit aptior quam vana Meinekii de Cleanthe Assio opinio. scriptor ille quidem, qui Ptolomaeum et Cratetem contra posuit, intellexit Philadelphum (cf. Theocr. XIV 63 πολλοῖς πολλὰ διδούς, αἰτεύμενος οὐκ ἀνανεύων, οἷα χρὴ

βασιλῆα), sed Teles quo tempore suum sermonem composuerit inde minime efficitur [1]). neque igitur certius quidquam de singulorum sermonum tempore constitui posse videtur quam quod Droyseni observatione patefactum est. et cum per se veri parum simile sit plura lustra in componendis an dicam compilandis his sermonibus consumpta esse, saeculi tertii dimidio altero circa a. 240 Teletem scripsisse putaverim non solum Περὶ φυγῆς sed sub idem tempus etiam reliquos libellos.

Quaeritur, ubi natus sit Teles, ubi degerit sermonesque habuerit. at quaerentem ne fallat aliorum philosophorum memoria a Telete adlecta etiam atque etiam cavendum est. errorem in hoc genere proclivem non ubique evitavit de Wilamowitz. velut de paupertate sermonem Athenis conscriptum esse ille inde conclusit (l. c. p. 300 adn. 11), quod de servo dicitur: Ἀθηναῖος γενέσθαι (sc. ἐπιθυμεῖ). at Athenarum civitas commemorari poterat ut nobilissima sicut Alexander inter reges, Iuppiter inter deos. neque spoponderim ego hoc tmema p. 43, 1 οἰκέτης ἐστίν — 7 ἵνα Ζεὺς γένηται ἐπιθυμήσει non ex alius scriptoris commentario sublatum esse. nam quae praecedunt p. 42, 8 καὶ παῖς μὲν ὢν κτέ. scripsit Teles haud dubie usus loco Cratetis (cf. p. 49 sq.), quae subsequuntur p. 43, 9 οἱ βασιλεῖς αὐτοὶ κτέ. adiutus Antisthenis ut videtur memoria quae est apud Xenophontem conv. IV 36:

---

1) Confirmari puto loco Teletis, quod aliis ex indiciis coniecit Zeller (*Phil.*[4] II 1 p. 285 adn. 1) Cratetem vidisse saeculum tertium: immo vixisse videtur aliquantisper post eum annum, quo rex factus est Philadelphus, hoc est post 285. nam quisquis scripsit verba illa, nisi absone loqui voluit, composuit Cratetem et Ptolomaeum tamquam aequales. quod etiam tum tenendum erit, si quis coniciat ab ipso Telete contra posita esse haec nomina tamquam exempla omnium illustrissima et quasi duratura alterum regis μισθοδότου, alterum Cynici. sed haec quidem explicatio cur minus mihi placeat supra exposui. de Cratete autem Ptolomaei aequali assentiri mihi video Theodorum Gomperz *Griech. Denk.* II p. 544.

	Tel.
αἰσθάνομαι δὲ καὶ τυράννους τινάς, οἳ οὕτω πεινῶσι χρημάτων, ὥστε ποιοῦσι πολὺ δεινότερα τῶν ἀπορωτάτων· δι' ἔνδειαν γὰρ δήπου οἱ μὲν κλέπτουσιν, οἱ δὲ τοιχωρυχοῦσιν, οἱ δὲ ἀνδραποδίζονται.	οἱ βασιλεῖς αὐτοὶ πολλῆς ἐπάρχοντες καὶ προσόδους μεγάλας ἔχοντες οὐδὲν ἧττον σπανίζουσιν, ὥστε καὶ τυμβωρυχεῖν καὶ ἱεροσυλεῖν καὶ παρὰ τὸ προσῆκον φυγαδεύειν.

dubitandi igitur locus erit, num ea quae interiacent p. 43, 1—7 ipsius Teletis ingenio nata esse maiore credantur iure quam reliqua. Cratetis vero loco quo hominis Atheniensis educatio et vita describitur (V p. 49 sq.) effici quidquam contra Wilamowitzium recte negavit Weber l. c. p. 213 adn. idem vidit Parthenonis commemorationem, quae fit in sermone Περὶ αὐταρκείας p. 8, 4, sufficere non posse ad locum quo habita sit oratio indagandum. paulo certiore utitur argumento de Wilamowitz in sermone Περὶ ἀπαθείας, id quod negare vix debuit Weber. nam postquam p. 57, 14 contra Atticas mulieres scripsit Teles οὐχ ὡς ἂν Ἀττικὴ γυνὴ ἀκούσασα κτέ. mox ita pergit ὅρα εἰ καὶ τῶν παρ' ἡμῖν τις γυναικῶν τοῦτ' ἂν ποιήσειεν p. 58, 12, ut mihi quidem satis veri simile sit scriptum esse sermonem Athenis. an utrobique hausit Teles ex auctore Attico? erraret, si quis premeret quod p. 57, 10 dicitur plane sophistico more ταυτασὶ τὰς Λακωνικὰς γυναῖκας, quippe quibus respondeant infra p. 59, 1 ἐκεῖναι.

Megarensem fuisse Teletem Megarisque scriptum esse sermonem Περὶ φυγῆς si non certum tamen probabile puto. Wilamowitzii vel Bergkii argumentis quod addam vix habeo, nisi quod ne in Attica quidem nomen Teletis inauditum fuisse interim monuit Diels *Deutsche Litteratur*z. a. 1890 p. 1160 respiciens Hermippi ut videtur versum (Plut. Pericl. 33 Com. I fr. 46 p. 237 K.) ψυχὴν δὲ Τέλητος ὑπέστης; quem frustra in dubitationem vocavit Kock. sed monumentorum tituli non videntur refragari. nam si discesseris ut par est ab aliquot vasorum inscriptionibus (C. I. G. IV 7660 = Gerhard *Auserl. Vasenb.* 190 sq.; C. I. G.

IV 8198 = Gerhard A. V. 188 = Klein *Die gr. Vasen mit Meistersign.* p. 194, 2; *Arch. Zeit.* 1884 p. 252. cf. etiam Klein *Die gr. Vasen mit Lieblingsinschr. Denkschr. der Kais. Ak. d. W. phil.-hist. Cl.* XXXIX 2 (Vindob. a. 1891) p. 22), Teletis nomen hodie non legi videtur nisi in titulis Megaricis. quinquies autem recurrit ille Ἑρκίων Τέλητος inter quinque *stratagos* C. I. G. 1052 Le Bas et Foucart *Mégaride et Péloponn.* n. 29. 30. 30ᵃ. 30ᵇ [1]). notare hoc intererit, licet tempora eorum titulorum, quibus sex stratagi nominantur, paulo commodius constitui possint (cf. Foucart p. 13 D. Korolkow *Mitth. d. deutsch. arch. Inst. in Ath.* 1883 p. 183 sqq.) quam eorum qui solitum numerum quinarium non excedunt. sed num quem nobis praebeat usum velim ab aliis edoceri. repetere argumenta, quibus sententiam suam stabilivit de Wilamowitz, non magis meum duco quam refellere eius adversarium. unum locum quin tangam non recuso, quia ille ad Teleteum genus scribendi et elocutionem cognoscendam aliquid momenti adfert. quippe negat Weber (l. c. p. 213 adn.) poni posse, quod posuit Wilamowitz in eadem urbe, in qua natum esse vult Teletem, etiam habitam esse orationem Περὶ φυγῆς. nam peregri habitam esse ipsum testari p. 25, 4: οὕτω καὶ δεῦρο ἄβατον ἡγησάμενος τὴν ἰδίαν μεταβὰς ἀλλαχοῦ κατοικῶ. at vereor ne non recte Weber haec interpretatus sit. praetervidit, quod videre nunc etiam commodius est verbis οὔκουν — οἰκήσω eo quo oportebat loco repositis, cum homine nobis rem esse sophistarum more disputante de exsilio non aliter quam de paupertate vel de apathia. re vera exsulem fuisse haec scribentem verbis illis non magis comprobari puto quam non fuisse civem his ἐμὲ δὲ εἰ μή ⟨εἰμι⟩ πολίτης, ὀνειδίζεις; p. 28, 4. ne latius error serpat, unde ille provenerit dicam. 'nemo Cynicorum' inquit Weber (l. c. p. 168) 'exsilium laudabat, quin idem ipse exsul esset, nemo paupertatem, quin ipse pauper esset, nemo labores, vitae simplicitatem,

1) Titulos quos memoravi praeter unum in suum usum iam collegerat Augustus Brinkmann. comperto meo consilio perquam officiose ille mihi eorum numeros indicavit.

libertatem, alias virtutes praedicabat, vitia, quae iis contraria sunt, vituperabat, quin verba suo ipse exemplo rata faceret' e. q. s. fervidius hoc ille quam verius. notum est ne de Antisthene quidem stare posse hoc iudicium, quem tubam appellasse dicitur Diogenes, quae suum ipsius sonum non audiret, aperte falsum est, si posteriorum temporum spectamus scriptores Cynicos, inter quos etiam Teletem Bionis imitatorem referendum esse de Wilamowitz perspexit. ac si nihil nobis nisi hoc notum esset totiens aliorum scrinia compilasse Teletem quotiens infra apparebit, cavendum esset ne nimis premeremus verba. locum, qui verba οὕτω καὶ δεῦρο — μετοικῶ proxime praecedit (p. 25, 3 ἀπελθὼν ⟨ἂν⟩ εἰς τὸ βαλανεῖον — 4 ἐν τῷ γυμνασίῳ) alibi monui ex eodem fonte haustum videri, cui debentur quae narrantur de Metrocle (p. 41, 7). verbis (p. 25, 6) δύναμαι δὲ μεταβὰς ὥσπερ ἐξ ἑτέρας νεὼς — ὁμοίως εὐδαιμονεῖν in mentem ea vocantur, quae Bioneo orationis colore scripta sunt p. 27, 3: καὶ ἐν νηῒ ἐν ᾗ ἐγένου — 6 ἀσφαλῶς καὶ ἀκόπως, ubi videas quae adnotavimus. num enuntiatum quod interponitur οὕτω καὶ δεῦρο — ἀλλαχοῦ κατοικῶ idoneum esse existimabimus quo exsulem fuisse Teletem de exsilio disputantem evincatur? neque vero alia eius opinionis adminicula repperi.

Locutum esse Teletem coram adulescentulis docti consentiunt. nam digito monstrat coronam tamquam praesentem p. 24, 1: οὐδὲ τὰ μειράκια ταυτί. confirmatur res eo loco, quo Bionis verba quae alio loco exscripsit (p. 6, 1) paulo liberius sic detorsit p. 24, 4: σὺ πολλῶν [ἢ ὀλίγων] καὶ ἡβώντων βασιλεύεις, ἐγὼ δὲ ὀλίγων καὶ ἀνήβων παιδαγωγὸς γενόμενος, καὶ τὸ τελευταῖον ἐμαυτοῦ. Bio cum dixisset σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς, ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί (sc. Βίων), καὶ σὺ μὲν πολλῶν, ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουῒ παιδαγωγὸς γενόμενος, καὶ σὺ μὲν εὔπορος κτέ. cum regis alicuius (cf. p. 5, 6) fortuna suam ipsius condicionem comparans seque haud illepide suum ipsius (ἑνὸς τουτουῒ) paedagogum appellans, hunc locum Teles ita in suum usum convertit p. 24, 4, ut regem quem Bio in mente habuerat, retineret quidem, sed regio imperio suum magisterium opponeret idque

non perapte. paucos igitur necdum puberes adulescentes ille instituit. quae contra disputavit Weber adeo non recte se habent ut longiore refutatione vix opus sit. ac primum φησίν illud (p. 6, 2), quod ad Bionem non nullis versibus ante commemoratum spectare recte intellexerat de Wilamowitz, ab epitomatore potius adiectum esse putat Weber. quod ut demonstraret, loco usus est qui a nostro plane diversus exstat p. 25, 13 sq. etenim cum verba τί οὖν; ὑπὸ χειρόνων φυγαδεύεσθαι οὐ παροινία; manifesto interlocutoris sint, nihil sane obstare videtur, quominus quae subsequuntur σὺ δ' ἂν ἐβούλου, φησίν, ὑπὸ καλῶν κτέ. isto φησίν interserto tamquam ipsius Teletis esse significare voluerit sive epitomator sive ipse Teles. prorsus alia ratio est eius loci p. 6, 2, de quo nunc agitur, ut in Wilamowitzii iudicio acquiescendum sit. adice quod βασιλεύσεις, pro quo βασιλεύεις scribendum esse coll. p. 6, 5 optime me iudice docuerat de Wilamowitz, a Webero (p. 213 adn.) retinetur: iam fundamentum habes, cui ille suas opinationes superstruxit. adfuisse principem aliquem opinatur, apud quem Teles orationem de exilio habuerit (σὺ πολλῶν καὶ ἡβώντων βασιλεύσεις). quid quod praesenti principi pro liberalitate et donis gratias agere vult Teletem sermonis Περὶ αὐταρκείας verbis p. 6, 1: σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς, ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί, . . . καὶ σὺ μὲν εὔπορος γενόμενος δίδως ἐλευθερίως, ἐγὼ δὲ λαμβάνω εὐθαρσῶς παρὰ σοῦ κτέ. ita autem haec ille commenta protulit, ut quibus se difficultatibus implicaret, ne sensisse quidem videatur. fac enim regulum quendam verbis σὺ πολλῶν καὶ ἡβώντων βασιλεύσεις compellari a Telete: nonne necesse erit putemus ex regulo interim regem factum esse, ut constent sibi verba: σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς, ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί, καὶ σὺ μὲν πολλῶν, ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουὶ παιδαγωγὸς γενόμενος, καὶ σὺ μὲν εὔπορος γενόμενος δίδως ἐλευθερίως κτέ.? quod quam incredibile sit nemo non sentiet. dein si Teletis haec erant verba, quo modo illa ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουὶ παιδαγωγὸς γενόμενος cum altero loco conciliari possint obscurum est. num putabimus, cum illa loquebatur Teles, unum eumque regem ei instituendum traditum

fuisse, complures interque eos etiam regulum eo tempore quo disserebat de exsilio? porro respice quam inconcinna vel potius intolerabilis evasura fuerit ratio dialogi oratioque, si Teles semel bisve colloqueretur cum rege illo regulove, in ceteris partibus cum adversario haud dubie ficto. an ullum exstat indicium, quo probari possit breviuscula illa membra, quae adversario dantur, in sermone Περὶ φυγῆς pronuntiari a regulo? sed vides iam, quo temeritatis pervenerit Weber praeiudicata illa opinione abductus. φησίν illud, quod ansam erroris dedit, nisi de Bione intellegatur explicari non posse iam monuimus. quod autem tempus futurum βασιλεύσεις vindicari ille putat verbis τί οὖν διοίσει μοι κτέ. p. 17, 3, non minus eum fefellit opinio. nam membrum, quod verbo βασιλεύσεις responderet, sic cogitatione complendum esset: ἐγὼ δὲ (sc. ἄρξω vel ἡγήσομαι) ὀλίγων καὶ ἀνήβων, παιδαγωγὸς γενόμενος κτέ. at tunc ipsum cum loquitur adulescentulos (τὰ μειράκια ταυτί) moderari Teletem tamquam magistrum ipsi Webero in confesso est, ut vel hinc appareat βασιλεύεις rescribendum esse necessario.

Plus semel iam prioribus iudicium de Telete nostrum interposuimus, ut quid sentiamus de homine vix in obscuro sit. dissensio aliqua videtur esse inter viros doctos, sed videtur tantum. nullam praetermisit Cobet occasionem, quin laudibus haec extolleret fragmenta. pulcherrima ei videntur esse, venustissima lectuque iucundissima (Var. lect.[2] p. 206. 371 mnemos. IX p. 99). locum Περὶ αὐταρκείας suavissimum neminem sine admiratione perlecturum esse ait (l. c. p. 98), 'nam prudentissima praecepta sale et leporibus exquisitissimis condita sunt'. lepide et scite dicta, iocum et acumen agnoscit in sermone de exilio (l. c. p. 123). cui aestimationi vide quam sit contrarium iudicium aliorum. maxime mediocris Teles audit Wilamowitzio l. c. p. 313, imitator parum ingeniosus Duemmlero Antisth. p. 70 (*Kl. Schr.* I 73), de oratione ieiuna quam περὶ αὐταρκείας scripserit loquitur Wachsmuth sill.[2] p. 75. at enim ita res se habet: si eas respiciemus sermonum particulas, quas cum ab aliis tum a Bione mutuatus esse sive ipsius testimoniis sive

indiciis probabilibus ille coarguitur, ne de Cobetianis quidem laudibus quidquam detrahendum erit; contra si aestimabimus quae suis ipsius viribus fisus scripsisse putandus est, tenuis videbitur ingenii vena et angusta. immo vix dignus esset Teles qui legeretur, nisi saeculi tertii scriptorum partem longe plurimam dies delevisset. sic recte iudicavit olim Niebuhr, nec hodie aliter iudicant qui iudicare didicerunt. nolim igitur singillatim enumerare quae displicent, ubi quivis cernat optima quaeque aliis auctoribus deberi, ipsum molestum esse eadem saepe et verbose iterando. quamquam ne iniuria fiat homini, tenendum est hoc ei propositum fuisse, ut adulescentulos impuberes imbueret sapientia Cynica. sunt igitur quae ipso genere Cynico excuses, velut nimium et mirum usum poetarum eademque praecepta identidem decantata. neque certo scimus, ipse foras ediderit commentariorum collectionem an discipulorum aliquis nescio ipso vel invito. denique quantum corruperit epitomator non ubique ita definiri potest, ut absit dubitatio. sed vel sic restant quae excusari non possint, immo quibus aperte prodatur mediocre hominis iudicium et inbecillum. nam scriptoribus illis, cum quibus familiaritatem contraxerat, utitur non numquam non apte, deutitur. cuius generis exempla iam supra aliquot adlata sunt. ut duo alia eaque insigniora hic addam, verba quae leguntur p. 42, 8 καὶ παῖς μὲν ὢν usque ad p. 43, 1 καὶ μακαρίζει τὸν τοῦ παιδὸς βίον ad exemplum loci Cratetei, quem alibi exscripserat, iterantur importunius utpote in sermone quo agatur de paupertate. multo enim ad institutam sententiam accommodatius haec inter se exciperent p. 42, 5 ἀλλ' ἐπιθυμίας καὶ ἐπιβολὰς τοσούτων καὶ τοιούτων ἔχει, ἐξ ὧν ἐν ἐνδείᾳ καὶ σπάνει ἔσται·

ἄπληστον γὰρ ἔχουσι κακοὶ νόον.

οἰκέτης ἐστίν· ἐλεύθερος σπεύδει γενέσθαι κτέ. mediis sublatis. non immerito vituperabitur etiam sermo Περὶ φυγῆς. verba ἀπελθὼν ⟨ἂν⟩ εἰς τὸ βαλανεῖον ἠλειψάμην τῇ αὐτῇ παλαιστρικῇ χρώμενος ᾗ καὶ πρὸ τοῦ ἐν τῷ γυμνασίῳ ex alio fonte haud ita

apte hic interponi paululum variata iam supra monui. quem vero sub finem exscripsit Bionis ut videtur περὶ ταφῆς commentarium, eum a disputatione quam ipse instituerat longe longeque remotum fuisse nulla controversia erit.

Cynicam sapientiam profiteri Teletem ita demonstravit de Wilamowitz, ut novis id argumentis confirmari nemo desiderarit. Wilamowitzii igitur argumentis etiam Zeller adductus est, ut quem antea non recte inter Stoicos rettulerat iam adnumeraret Stoicis saltem paene Cynicis *Phil.*[4] II 1 p. 327 adn. 1 [1]). nec dubitasset opinor eum referre inter gregem Cynicorum, nisi Meinekii auctoritati obsecutus obstare istuc credidisset de Cleanthē Assio testimonium. quod supra destructum est. cavendum igitur erit ne fontes Teletis scrutaturus rectam viam tibi ipse ita praecludas, ut pedisequum eum facias Stoicorum. immo quae congruunt Teletem inter et Chrysippum Senecam Musonium Epictetum alios, ex communi fonte Cynico ex quo ipsi quoque Stoici plus minus hauriebant repetenda sunt. Zenonis enim nomen, quod semel adfertur, non adferri nisi propter Cratetem iam supra memoravimus. qualis fuerit cynismus Teletis vel quo modo differat a Cynicorum principibus, facile est demonstrare. res apertior fiet infra, ubi de Bione Theodoreo aliquid dicetur, nunc ipsius Teletis aliquot verba adponere sufficiat. discrepat autem Teles a Diogene Cratete horumque similibus, quia paene totus addictus est Bioni. Bio autem a priorum rigida et virili sapientia non nihil declinaverat ad Aristippi vel potius Theodori laxiorem quae sine

1) Non rectius iudicavit interim idem vir venerabilis a. 1898 *Grundr. der Gesch. der gr. Philos.*[5] p. 203: . . . 'der Moralprediger Teles, dessen Cynismus vermuten lässt, dass gleichfalls Aristo seinen Zusammenhang mit der Stoa (Stob. flor. 95, 21) vermittelte'. nam quod semel Zenonis Stoici mentionem inicit Teles (Stob. flor. 95, 21 = Tel. p. 46, 6), id cur nullius momenti sit, supra identidem dixi: memoratur Zeno non nisi propter Cratetem. quae autem Aristoni adfinia leguntur apud Teletem, ea hic accepta fert non ipsi Aristoni quippe quem nominet numquam, sed Bioni quem laudat septiens philosophiae Aristonis paene Cynicae valde cognato. cf. quae monuimus ad Tel. p. 10, 1.

controversia habetur rationem et molliorem. sic commode explicatur, quod praecipit quidem Teles p. 53, 13: οὐ δεῖ δὲ τρυφᾶν οὐδὲν sed addito τῶν πραγμάτων μὴ φερόντων, quod Cynicorum sapientia nos armari iubet sed fere armatos non incedere nisi urguente necessitate ib. p. 54, 2: οὕτως αὖ δεῦρο ἐπίκειται ἐνίοτε πόλεμος, ἀπορία ἀρρωστία, ἀναχώρει εἰς μονοσιτίαν, εἰς αὐτοδιακονίαν, εἰς τρίβωνα, ἔσχατον εἰς ᾅδου, quod eatenus procedit immo recedit ut nautarum exemplum nobis proponat imitandum ib. 53, 16: ἐκποιεῖ· χρῆσαι. οὐκ ἐκποιεῖ· παῦσαι. hilaris utere rebus oblatis, noli appetere quod fortuna tibi denegarit, paucis adsuesce; parvum parva decent, magnum magna. ad hanc viliorem saeculoque tertio vergenti magis accommodatam sapientiam cynismus posteriorum delapsus est, quanam autem via eo devenerit perspicietur, ubi canonem Bioneum illustrabimus: δεῖ οὖν τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα πᾶν ὅ τι ἂν αὕτη (sc. ἡ τύχη) περιθῇ καλῶς ἀγωνίζεσθαι (Tel. p. 52, 3. 5, 2 ss.).

Iterum ac saepius repellimur ad quaestionem de fontibus Teletis instituendam. nam cum reliquis, quae sciri interest, artius cohaeret quam ut expediri ea possint nisi quos auctores Teles quanam ratione exscripserit accuratius enucleatum erit. nolui igitur reprimere, quae mihi cum aliqua probabilitate hac de re statui posse videntur. sciendum est autem eam me tenere viam, ut de Bione, quem in deliciis habuisse maxime suaque ipsum lectione cognovisse Teletem concedunt omnes, quotquot hanc quaestionem ante me attigerunt (vid. Wilamowitz l. c. p. 306, Duemmler Antisth. p. 70, Wachsmuth sill.[2] p. 75 s., Weber l. c. p. 162 ss. et saepius), infra agam uberius comprehensis eis, quae de Borysthenita mihi comperta sunt, brevius pro re nata de reliquis.

Ut ab eis incipiam auctoribus, qui semel a Telete laudantur nominatim, Xenophontis libros utrum ipse inspexerit an ab aliis traditam eius memoriam propagarit quaeritur. certum est quae leguntur apud Teletem p. 7, 8 ss. Xenophontis apomnem. I 6, 7 admodum similia, ea adferri auctore Bione, leguntur enim in oratione Paupertatis. nec in hoc iudicio mecum

dissentit Carolus Ioël *Der echte und der Xen. Sokr.* II 1 p. 448, dissentit in eo, quod verba de quibus agitur ad utrumque potius, tam ad Xenophontem quam ad Bionem Teletemve ex Antisthene putat pervenisse (l. c. II 2 p. 664). adeo enim inter se discrepare Xenophontis verba et Teletis et qui tertius eiusdem dicti testis accedit 'Socratis' Laertii II 27. sed quominus meum faciam iudicium viri acuti inde impedior, quod reliqui huius generis loci Teletei, ex quibus uni ipsum nomen adhaeret Xenophontis, a Xenophonte etiam longius recedunt. festinantius igitur iudicaret, si quis locum supra nobis exscriptum (p. XXXVII) ex Antisthene potius quam e Xenophontis convivio (IV 36) petitum putaret sola quae est inter Xenophontem et Teletem discrepantia confisus. componantur enim quae eiusdem esse symposii IV 35 testatur Teles ipso Xenophontis nomine adposito p. 12, 2

οὐκ ἀηδῶς γὰρ Ξενοφῶν 'ἐάν σοι' φησί 'δείξω δύο ἀδελφῶν τὴν ἴσην οὐσίαν διελομένων τὸν μὲν ἐν τῇ πάσῃ ἀπορίᾳ, τὸν δὲ ἐν εὐκολίᾳ, οὐ φανερὸν ὅτι οὐ τὰ χρήματα αἰτιατέον ἀλλ' ἕτερόν τι;'	Xen. conv. IV 35 οἶδα δὲ καὶ ἀδελφούς, οἳ τὰ ἴσα λαχόντες ὁ μὲν αὐτῶν τἀρκοῦντα ἔχει καὶ περιττεύοντα τῆς δαπάνης, ὁ δὲ τοῦ παντὸς ἐνδεῖται.

et liberrima describendi ratio item manifesta erit. Theramenis dictum librarii neglegentia nunc paene obscuratum p. 17, 9 fluxisse videtur ex notis Xenophontis verbis Hell. II 3, 56: vide supra p. XIX. restat locus p. 61, 7: ἄδηλον γὰρ φησὶν ὁ Σωκράτης οὐ μόνον τῷ καλὴν εἰ ἐπὶ ταύτῃ πλείω, quem ex Xenophontis imitatione repetendum esse coll. apomnem. I 1, 8 putavit Iacobs, quamquam quae sequuntur ἀλλὰ καὶ τῷ τέκνα καὶ φίλους εἰ περὶ τούτους πλείω quia parum concinunt cum Xenophonte, probabilius erit suspicari breviloquentiam Teletis derivatam esse ex medio quodam inter Xenophontem et ipsum libro. omnino igitur omnes ita comparati sunt loci ut ipsum Teletem Hellenica et convivium et apomnemoneumata evolvisse

aegre credideris. ubi autem pellucet memoria Xenophontea, ibi Bionis fons ita emicat (sermonibus Περὶ αὐταρκείας et Περὶ πενίας Bionis nomen inhaeret sexiens), ut si quis Xenophonteos locos ex Bione ad Teletem pervenisse crediderit, ego nolim intercedere. nec repugnare puto locum illum qui legitur in sermone de apathia p. 61, in quo auctor nominatus est nullus praeter Stilponem. nam etiam in ditriba de apathia haud ita pauca e Bione adsumpsisse Teletem vel Lacaenarum apophthegmatis, de quibus infra agam, satis adparebit. cf. nunc etiam Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 38 adn. 108e. hoc unum tamen addiderim non prorsus deesse in Telete locos ubi ambigi possit utrum Bio usus fuerit ipso Xenophonte an scriptore antiquiore, velut Antisthene, quem Xenophon et ipse exscripserat.

Platonis Phaedo semel exscribitur etiam nomine Platonis addito. nam verum est Iacobsii supplementum, quod in verborum contextum recepimus p. 17, 7. sed Phaedonem a Telete inspectum esse adeo non certum puto, ut potius ad Cynici alicuius commentarium illa referenda esse suspicer. nam primum moneo ea, quae Platonis memoriam proxime praecedunt, aperte Bionea esse, non modo ista verba p. 15, 11: καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα κτέ., sed etiam proximum enuntiatum (p. 16, 4): ὥσπερ ⟨ὁ⟩ ἀγαθὸς ὑποκριτὴς εὖ καὶ τὸν πρόλογον εὖ καὶ τὰ μέσα εὖ καὶ τὴν καταστροφήν, οὕτω καὶ ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ εὖ καὶ τὰ πρῶτα τοῦ βίου εὖ καὶ τὰ μέσα εὖ καὶ τὴν τελευτήν. nam ex Bione haec sublata esse histrionica similitudine vere ea quidem Bionea probabile fit (cf. II p. 5, 2 ss.). iam vide hanc boni viri cum histrione comparationem repetitam in Arriani diss. Epict. IV 1, 164 in eodem vel simili sententiarum conexu, id est cum Socratis morientis descriptione coniunctam:

	Teles p. 17, 1 ss.
Σωκράτης δ' αἰσχρῶς οὐ σῴζεται· ὁ μὴ ἐπιψηφίσας Ἀθηναίων κελευόντων, ὁ τοὺς τυράννους ὑπεριδών, ὁ τοιαῦτα περὶ	ἦν αὐτῷ ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου, εἰ ἐβούλετο, ἐξελθεῖν . . . καὶ τῶν δικαστῶν κελευόντων ἀργυρίου τιμήσασθαι οὐ προσεῖχεν, ἀλλὰ

ἀρετῆς καὶ καλοκαγαθίας διαλεγόμενος. (165) τοῦτον οὐκ ἔστι σῶσαι αἰσχρῶς· ἀλλ' ἀποθνήσκων σῴζεται, οὐ φεύγων. καὶ γὰρ ὁ ἀγαθὸς ὑποκριτὴς παυόμενος ὅτε δεῖ σῴζεται μᾶλλον ἢ ὑποκρινόμενος παρὰ καιρόν.

τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως ἐτιμήσατο· κτέ. cf. Plat. apol. p. 37 A

vix autem casui tribuerim hanc cum Epicteto concordiam. Epicteti enim dissertationes aeque ac Musonianas (vid. Wendland quaest. Muson. p. 64 sq.) Bioneis coloribus multifariam distinctas esse infra patebit. quem ad modum igitur Socratis mentio facta videtur iam in commentario Bioneo, ita Teles in eis, quae ex Platone adsumpta sunt, Bionea ni fallor transcribere perrexit [1]). nec obstat Plut. an vitios. p. 499 B, vide supra p. XXXV. inter alia argumenta etiam hoc erit, quod Socratis et Theramenis exemplorum par non a Telete demum coniunctum esse veri fit simile comparato loco Tulliano quem indicavimus p. 18. Theramenis autem dictum fluxisse puto e Xenophonte (Hell. II 3, 56), cuius usum a Bione non alienum esse modo vidimus.

De sermonis Περὶ πενίας loco, quo Metroclis memoria inicitur p. 40, 4 ss., dixi supra (p. XXXV). addi poterat sententiae nostrae non refragari loci initium: καὶ Μητροκλῆς δὲ ἐκεῖνος ἔφη, ὡς ἔοικεν, ὅτε μὲν παρὰ Θεοφράστῳ καὶ Ξενοκράτει κτέ. sive interpretaberis *ut fertur* (cf. Bonitz ind. Ar. s. v. ἐοικέναι) praeeunte Wyttenbachio animadv. in Plut. lib. de sera num. vind. p. 548 B sive magis convenire hoc putabis *ut consentaneum est.* semel commemoratur etiam Aristippus, semel Zeno, de quibus infra dicendi locus erit, et de Zenone

1) Haud inutile erit commoneri de Xenophontis Platonis Metroclis apud Teletem memoria iudicium quod fecimus veri simile visum esse Paulo Wendland *Berl. philol. Wochenschr.* XI 1891 p. 457, Ricardo Heinze mus. Rh. XLV p. 509. conferatur nunc etiam I. Geffcken 'Leonidas von Tarent' Fleckeis. annal. suppl. XXIII p. 124. dissentit nobiscum Croenert l. c. p. 43.

quidem, ubi tractabimus de Cratete. bis commemorantur οἱ ἀρχαῖοι in eadem de paupertate sermonis particula p. 35, 8 et 37, 5. priore loco οὐκ ἀηδῶς δ' ἔμοιγε δοκοῦσι καὶ οἱ ἀρχαῖοι πρὸς ταῦτα ἐρωτᾶν· ὃ μὴ ἀπολύει ἀπληστίας καὶ ἀνελευθερίας καὶ ἀλαζονείας ἄνθρωπον, οὐδὲ ἐνδείας οὐδὲ σπάνεως ἀπολύει· οὐθὲν δὲ τῶν τοιούτων ἀπληστίας καὶ ἀνελευθερίας καὶ ἀλαζονείας ἀπολύει . . . . ἕως δ' ἂν ᾖ οὗτος (sc. ὁ τρόπος) ἄπληστος ἀνελεύθερος ἀλαζὼν δειλός, ἐν ἐνδείᾳ καὶ σπάνει ἔσται sententia dilucida est, etsi syllogismi quo *veteres* illi usi erant forma parum sollerter servatur aliis nonnullis ab ipso ut videtur Telete vel ab epitomatore interpositis (τὸν γὰρ τρόπον — ἤπερ τὸν τρόπον). veteres Cynicos intellegendos esse apte coniecit de Wilamowitz l. c. p. 307 adn. 19. neque ego video quibus haec sententia conveniat magis. paupertatis remedium non est nisi quod avaritiam expellat ex animis, divitiae cupiditatem irritant plura possidendi, ergo paupertati non medentur. favet coniecturae, quod ad secundarium membrum illustrandum infra Antisthenica adhibentur p. 43, 9: οἱ βασιλεῖς αὐτοὶ πολλῆς ἐπάρχοντες καὶ προσόδους μεγάλας ἔχοντες οὐδὲν ἧττον σπανίζουσιν, ὥστε καὶ τυμβωρυχεῖν καὶ ἱεροσυλεῖν καὶ παρὰ τὸ προσῆκον φυγαδεύειν. nam Antistheni tribuuntur, quae e Xenophontis conviv. IV 36 supra adscripsi horum admodum similia. non parvi faciendam esse fidem Xenophontis in eis, quae hoc loco referuntur de Antisthene, monuit Zeller *Phil.*[4] II 1 p. 310 adn. 6. audi igitur quo modo pergat Antisthenes Xenophonteus l. c. IV 37: τούτους μὲν οὖν ἔγωγε καὶ πάνυ οἰκτίρω τῆς ἄγαν χαλεπῆς νόσου. ὅμοια γάρ μοι δοκοῦσι πάσχειν, ὥσπερ εἴ τις [πολλὰ ἔχων καὶ] πολλὰ ἐσθίων μηδέποτε ἐμπίμπλαιτο, iam senties opinor totum hunc de paupertate et divitiis locum valde congruenter tractare solitos esse Cynicos, paene dixi Socraticos. avari cum hydropico comparatione ante Bionem usus est Diogenes Stobaei III 10, 45, ubi vide quae adnotavimus. nec abhorrere putaverim ab constanti Cynicorum tractatione huius loci quod altero Teletis loco adfertur p. 37, 5 ex 'veteribus': διὸ καὶ οἱ ἀρχαῖοι ἔλεγον οὐκ ἀηδῶς· ἔφασαν γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὓς μὲν χρήματα

ἔχειν οὓς δὲ κτήματα. οὓς μὲν γὰρ χρᾶσθαι τοῖς ὑπάρχουσιν, οὓς δὲ μόνον κεκτῆσθαι οὔτε ἑαυτοῖς προϊεμένους οὔτε ἄλλοις μεταδιδόντας, etsi 'veteres' ad quos hic recurritur vix Cynici intellegendi sunt et ipsi. quinam fuerint certo dici nequit (Platonem respici putat R. Heinze, P. Wendland Aristotelem, vide quae adnotavimus p. 37, 6), eo certius hoc, Cynicorum de hoc loco et 'veterum' sapientiam consentire. ex eodem fonte aliquis ad Plutarchum latex pervenerit aliis interlapsis de cupid. divit. p. 525 B: ἀλλ' ὥσπερ βαρεῖα καὶ πικρὰ δέσποινα, κτᾶσθαι μὲν ἀναγκάζει (sc. ἡ φιλοπλουτία), χρῆσθαι δὲ κωλύει· καὶ τὴν μὲν ἐπιθυμίαν ἐγείρει, τὴν δὲ ἡδονὴν ἀφαιρεῖται . . . οἱ δὲ φιλάργυροι κτῶνται μὲν ὡς πολυτελεῖς, χρῶνται δὲ ὡς ἀνελεύθεροι· καὶ τοὺς μὲν πόνους ὑπομένουσι, τὰς δὲ ἡδονὰς οὐκ ἔχουσι. atque erunt fortasse qui verbis ὥσπερ βαρεῖα καὶ πικρὰ δέσποινα coniciant indicari etiam proximum Teletis enuntiatum ex eodem fluxisse fonte: καὶ ὃν τρόπον, ὅταν βασιλεὺς ἢ δυνάστης τὰ ὑπάρχοντα παρασφραγίσηται, οὐκ ἔστιν ἅψασθαι· οὕτως καὶ ἐνίων ἡ ἀνελευθερία καὶ δυσελπιστία τὰ ὑπάρχοντα παρεσφράγισται οὐκ ἐῶσα ἅψασθαι, ἀλλὰ σπανίζουσι καὶ ἐν ἐνδείᾳ εἰσίν, ἐπιθυμοῦντες μὲν πολλῶν χρῆσθαι δὲ οὐ δυνάμενοι. sed hoc fortasse minus certum. ad Wilamowitzii autem opinionem Plutarchi locus non leve affert momentum. nam ut multiplex in librum Περὶ φιλοπλουτίας diversaeque originis sapientia confluxit, ita non desunt loci manifesto derivati ex Cynicis. huc pertinet p. 526 C sq., quo infra utar. ceterum *veterum* illorum libros ipsi Teleti ad manum fuisse aegre mihi persuadeo.

Stilponem ab ipso Telete lectum esse probabile puto. certe duobus locis, quibus nomine addito exscribitur III p. 21, 6 VII p. 59, 11 vix quicquam inesse repperi, quo ab hac sententia deterrerer. ac primum in sermone de exsilio paulo longius Stilponis fragmentum proponitur, etsi concedendum est Zellero *Phil.*[4] II 1 p. 274 adn. 3, ubi desinant verba Stilponis, Teletis incipiant, certo vix effici posse. idem videtur Wilamowitzio (p. 306), cuius felici emendatione πρὸς δὲ τὸν κατ' ἄλλο τι ἡγούμενον τὴν φυγὴν βλαβερὸν εἶναι, μὴ οὐδὲν λέγηται πρὸς τὸ

τοῦ Στίλπωνος, ὃ καὶ πρῴην εἶπον· τί λέγεις, φησί, καὶ τίνων ἡ ψυχὴ ⟨ἡ⟩ ποίων ἀγαθῶν στερίσκει; etiam hoc lucramur, ut iam alia occasione Stilponis locum Teleti fuisse usui in propatulo sit. quod egregie convenit verbis prioribus (μὴ οὐδὲν λέγηται πρὸς τὸ τοῦ Στίλπωνος) quibus quanto in honore Stilponem habeat ipse indicat. sic non solet loqui, qui unum alterumve locum auctoris ab aliis accipit, sed qui familiaritatem cum ipso contraxit. Stilponis igitur dialogum sequitur et initio quidem fidelius utque breviter comprehendat, quae πρῴην si recte interpretor exposuerat explicatius. sed inde a verbis οὐκ ἄρχουσι, φασίν, οὐ πιστεύονται p. 23, 4 multa interponit de suis p. 23, 5 — p. 23, 15, mox adiutus etiam Bioneis (p. 24, 4), quorum vestigia hic illic illustravi in adnotatione (p. 27, 2. 5). Bionem exscribi sub finem inde a p. 30, 1 mihi vix dubium est. in sermone vero de apathia nullius auctoris nomen interponitur nisi semel Stilponis, ut Stilponeum dialogum inter fontes Teletis fuisse admodum probabile sit. et summum bonum visum esse Stilponi *animum impatientem* discimus ex Senecae ep. 9, 1. sed inde quod in parte morali eundem ad cynismum declinasse scimus (vid. Zeller l. c. p. 273), difficultas oboritur vix superabilis, nam nomine ἀπαθείας usos esse Cynicos docet Polystratus Π. ἀ. κ. ed. Wilke col. XIIa ἡ τῶν ἀπαθεῖς καὶ κυνικοὺς αὐτοὺς προσαγορευσάντ[ω]ν αἵρεσις. ut igitur in sermone de exsilio Teles praeter Stilponem etiam Cynicos exscripsit, sic verendum est ne eandem rationem secutus sit in sermone de apathia. plenus enim sermo sapientiae Cynicae. tollendos esse affectus, non temperandos contra Peripateticos etiam Stoici docent Cynicos secuti. quod ita confirmat Seneca in ep. 85, ut non modo eadem prope utatur argumentatione qua Teles, sed etiam apyrinorum similitudine (85, 5): '*sic*', *inquit*, '*sapiens inperturbatus dicitur, quomodo apyrina dicuntur, non quibus nulla inest duritia granorum, sed quibus minor*'. *falsum est. non enim deminutionem malorum in bono viro intellego, sed vacationem: nulla debent esse, non parva.* nolo congruentia exhaurire, sed memoria dignum quod in eadem epistula, ubi iterum Stoicorum aliqua

interrogatio munitur adversus Peripateticos, nobile illud gubernatoris Rhodii dictum recurrit (85, 33), quo Teletis sermo finitur. *haec* (sc. *navis regendae scientia*) *eo magis adparet, quo illi magis aliqua fortuita vis obstitit. qui hoc potuit dicere, 'Neptune, numquam hanc navem nisi rectam!' arti satis fecit: tempestas non opus gubernatoris impedit, sed successum.* quibus accedat locus quem attuli in adnotatione p. 62. quo pacto explananda sit Annaei cum Telete consonantia, modo significavimus. hoc unum addo, quod perspexit iam de Wilamowitz p. 292 adn. 1, errasse Hauptium cum Senecam Teletis disputationibus usum esse concluderet op. II p. 320. nec aliter Musonii crebrum cum Telete concentum (cf. quae subnotavimus ad Tel. p. 9, 2. 22, 1. 23, 12. 24, 6. 11. 25, 6) explicandum puto. Teletis scripta illum novisse posuit, non probavit Wendland (l. c. p. 27 adn. et 38) alioqui rectius iudicans. vides autem vera Annaeanae congruentiae causa perspecta quaestionem quam supra tetigi non reddi faciliorem. utrum praeter Stilponem Teles etiam Cynicos exscripserit in hoc de apathia sermone, ex. gr. Bionem, id non minus nunc ambiguum quam antea. cavendum igitur, ne avidius arripiamus tamquam Stilponis, quae ut in sermone de exsilio sic in disputatione de apathia etiam ex Cynicis repeti poterant, neve Bioni praepropere adsignemus, quae etiam Stilpo suggerere poterat in parte morali paene Cynicus. unum haud inepte forsitan conicias, eidem scriptori deberi, quae utroque in sermone narrantur de Lacedaemoniis p. 28, 7—29, 1 et 59, 2—5, fortasse eidem etiam Lacaenarum apophthegmata p. 57, 10 sqq. sed Stilponem hunc fuisse nolo adfirmare, cf. p. LVII. et de Lysandro aliquid legitur IV^{B} p. 48, 6. ceterum similitudinem aliquam intercedere inter Stilponis defensionem exsilii et Paupertatis orationem Bioneam observavit E. Weber. vereor tamen ita uti hac observatione, ut Stilponea suspicer Teletem derivasse ex Bione. denique conferantur quae dixi p. 21 adn. 6 et quae monuit R. Heinze mus. Rh. XLV p. 510.

Sequitur ut de apophthegmatis dicamus. Socratis enim dicteria Diogenis Cratetis Bionis tam saepe argumentationi

interseruntur. ut suo quasi modulo haec metienda esse existimaverint homines docti. velut de sermone Περὶ αὐταρκείας ita iudicat de Wilamowitz (p. 296), ut sententias dicat Teletem a Bione mutuatum esse, ipsum vix quicquam addidisse nisi Diogenis Socratisque apophthegmata. quaerenti autem unde haec sumpta sint sic respondet Rose Ar. pseudep. p. 70: 'quae Teles iste refert [sc. de Cratete et Philisco], ea sicut plurima quae Diogenis Bionis Cratetis aliorum dicta memorat, e certis chriarum libris petita videntur, quem ad modum apud Laertium (6, 91) de eodem Cratete citatur Ζήνων ὁ Κιτιεὺς ἐν ταῖς χρείαις hoc est auctor quidam qui Zenonis dictorum chriarumve (quales multi narrabant, Ariston. Hecaton etc. cf. e. g. D. L. 7, 21) librum edidit'. huic iudicio ego minime subscribo. nam ut primo obtutu ineptum videbitur conicere Bionis dicta 'e certis chriarum libris' petita esse, cum ipsas Bionis diatribas exscriptas esse quavis fere pagina eluceat, sic reliquorum apophthegmatum originem quaerentes cavendum erit ne nodum ut aiunt in scirpo quaeramus. sed rectius quam ineamus viam luculenter monstratam video. grammaticos musicos mathematicos ludificatum esse scimus Bionem (cf. Laert. IV 53) servavitque huius generis nonnulla Stobaeus II 1, 20 p. 7, 14 W. III 4, 52 H. (cf. Seneca ep. 88, 7 ss.): eadem fere iam Diogeni attribuuntur a Laertio VI 27. avaros cum hydropicis, ut supra monui, comparaverat ante Bionem (Tel. p. 39, 3) Diogenes (cf. Stob. III 10, 45 p. 419 H.[1]). de muliere eligenda dictum Laertius Antistheni adsignat VI 3, Bioni IV 48. scite his exemplis usus est Duemmler Antisth. p. 69 ut demonstraret Cynicorum dicta Bionem repetiisse. possunt alia addi. velut quod servavit Stobaeus III 10, 37 H. Βίων ὁ σοφιστὴς τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν ἔλεγε πάσης κακίας εἶναι, idem dictum Diogeni tribuitur a Laertio VI 50 (cf. Sternbach ad gnomol. Vat. 265 et quae adnotavimus ad Stob.). dictum de iusto prandii tempore, quod Diogenis esse

1) De Platone huius comparationis auctore qui exhibetur in gnomol. Vat. 434 Sternb. licet dubitari.

tradidit Laertius VI 40, Bioni datur gnomologii Vaticani a Sternbachio editi n. 156. patet autem auctorum discrepantiam optime ita explicari, ut superioris auctoris nomen omissum esse putemus a posterioris aevi excerptoribus. nam etsi fieri poterat, ut hoc et illo loco nomen auctoris iam Bio praetermitteret rem magis spectans quam personam, quem ad modum Bionea rursus a Telete exscribi videmus modo addito auctoris nomine modo detracto, attamen nimio neglegentem fuisse Bionem in indicandis suorum fontibus alienorumque praeter modum cupidum non est quod suspiceris. immo quod inter Diogenis Cynici dicta, ut de Socrate nunc taceam, hodie leguntur haud ita pauca Theodori molli sapientiae cognatiora quam veteri cynismo, id aut multum ego fallor aut ita explicandum erit ut dicamus colorem illa traxisse cum traderentur a Bione Bionisve similibus [1]). contra manifestum est chriarum collectoribus non modo supervacuam fuisse exactam fontis indicationem sed etiam molestam, si quidem suapte chria natura respuit doctrinae ambages brevisque sit oportet et concisa (cf. Hermog. progymn. c. 3). raro igitur in apophthegmatum testimoniis observatur religio qualis se offert apud Clementem Alexandrinum strom. VII 4, 24: 'τί δὲ καὶ θαυμαστὸν εἰ ὁ μῦς' φησὶν ὁ Βίων 'τὸν θύλακον διέτραγεν οὐχ εὑρὼν ὅτι φάγῃ; τοῦτο γὰρ ἦν θαυμαστόν, εἰ ὥσπερ Ἀρκεσίλαος παίζων ἐνεχείρει τὸν μῦν ὁ θύλαξ κατέφαγεν'. neque enim ambiguum videtur quin φησὶν ὁ Βίων illud pariter ad Arcesilae iocum pertineat, ut hoc ipso exemplo confirmetur, quod posui Bionem eo fuisse animi candore, ut priorum nomina non reticeret [2]). Duemmleri igitur observa-

1) Huc nescio an etiam apophthegma referendum sit quod Diogeni adsignatur a Laertio VI 63 ἐρωτηθείς, τί αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη 'καὶ εἰ μηδὲν ἄλλο τὸ γοῦν πρὸς πᾶσαν τύχην παρεσκευάσθαι'. cognatum est hoc dictum canoni Bioneo (Tel. p. 52, 3) quo de infra accuratius egi: δεῖ οὖν τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα πᾶν ὅ τι ἂν αὕτη (sc. ἡ τύχη) περιθῇ καλῶς ἀγωνίζεσθαι. didicit enim Diogenes iste Bioneus commode ferre etiam felicitatem.

2) Interim ita haec verba intellegi vult Croenert l. c. p. 43 adn. 196, ut Arcesilas potius Bionem irrisisse credatur (cf. παίζων ἐνεχείρει). at dictum quod hac ratione admissa Bioni relinqueretur (τί δὲ καὶ θαυμαστόν,

tione, quae merito Wachsmuthii plausum tulit sill.[2] p. 67 adn. 2 nuperque etiam Zelleri II 1[4] p. 335 adn., vides egregie confirmari, quod per se quam maxime credibile erat diatribas Bioneas affluxisse etiam priorum apophthegmatis. quod si tenebitur, spero etiam de Telete rectius quam antehac iudicari posse. nam ut in Sinopensis dictis tantisper persistam, probabilius nunc videmur conicere fontem Cynicum, quem in ceteris partibus Teles secutus est, ne in his quidem ab eo relictum esse, neque casui dederim quod Diogenis dicta, si de Diogene et Mane exceperis historiolam, omnia in uno leguntur Περὶ αὐταρκείας sermone. haec autem ipsa historiola, qua olim deceptus est Haupt, cum superioribus illis, quae de Metrocle narrantur, ita cohaeret, ut aegre possit ab eis divelli. nam per verba θαυμαστὸν μὲν γάρ, φησὶν ⟨ὁ Διογένης⟩, εἰ Μάνης μὲν κτέ. causa supponitur eis quae praecedunt: διακόνους οὐκ ἐπιθυμῶν ἔχειν [1]). quae autem de Metrocle narrantur, ea ex antiquiore commentario sublata esse iam supra probabile visum est (p. XXXV). forsitan eo non numquam offendaris, quod cum vicinis membris non satis commode colligatae videntur chriae vel non ubique leguntur eo quo exspectaris loco. velut fortasse mirum accidit, quod in Paupertatis oratione Bionea dicto Diogenis nunc utitur ipsa Paupertas: ποῖον γάρ σοι τοιοῦτον οἰκητήριον, φησὶν ὁ Διογένης, τοῦ θέρους, οἷον ἐμοὶ ὁ Παρθενὼν οὗτος, εὔπνους καὶ πολυτελής; at fallax in eius modi rebus iudicium, vix

---

εἰ ὁ μῦς τὸν θύλακον διέτραγεν οὐχ εὑρὼν ὅ τι φάγῃ;) lepore vel acumine plane careret. sui autem prorsus similis deprendetur Bio, si Arcesilae iocum in suum ille usum vertisse existimabitur. accedit quod, si vera esset ratio Croenerti, vix intellegeretur cur Bionis nomine dictum insigniverit Clemens a comici versiculo quem et ipsum apposuit (κἂν μὴ δὲν ἄλλ' ἔχων διατράγῃ θύλακον sc. μῦς) non differens, cf. infra p. LXI. sed utcumque de hac re iudicabitur, Duemmleri aliorumque rationem quam supra secutus sum ut refelleret Croenerto non contigit.

1) De Diogene eiusque servo fugitivo narratiunculam ex Bione transcripsisse Teletem interim mecum consentit Th. Gomperz *Gr. Denker* II p. 546. conferantur etiam quae nuper de chria ista monui mus. Rhen. LXI (a. 1906) p. 14 adn.

ut ego praestem tale artificium a Bione fuisse alienum. et Bioni hoc dictum vindicavit E. Weber l. c. p. 213 adn. 1. in aliis epitomatoris festinantia incusanda videtur ferruminandi arte non nimis fortasse periti. velut quod legitur διό φησιν ὁ Διογένης φωνῆς ἀκηκοέναι κτέ. id parum commode nunc aptatum est eis quae praecedunt. itemque hodie minus commode cum prioribus copulatam esse chriam p. 12, 8: καὶ ὅπερ Διογένης ἐποίησεν πρὸς τὸν πολυτελῆ κτέ. supra monuimus. sed ad quaestionem nostram hae observationes non multum faciunt. nam undecumque chriae petitae sunt, apte has inserendi facultas adiudicabitur Teleti vel ab eius contemptoribus. eo autem magis premere licebit nullum legi Diogenis apophthegma, nullam chriam quin argumento illi περὶ αὐταρκείας quam maxime conveniat, nullam non cum eis, quae Bionis nomine proferuntur, artissimo sententiae vinculo coniunctam. rem manifestam fusius docere supersedeo. cf. E. Weber l. c. p. 88. haec igitur reputans probabile dico Diogenis dicta ex eodem fonte transcripta esse, quem etiam in ceteris huius sermonis partibus Teles secutus est. qui quis fuerit, supra Wilamowitzii verbis indicatum est.

De Socratis apophthegmatis aliquid additurus praetermitto locum p. 61, 7, cuius supra mentionem feci (p. XLV). apophthegma quod legitur in sermone de exsilio p. 29, 4 ambigas, si meas sequeris rationes, utrum ex Stilpone repetierit Teles an ex Bione. quamquam qui ἀρχαίους illos ab ipso Telete putat inspectos esse, ei nescio an etiam ad hos refugere liceat. anceps igitur de hoc loco erit iudicium. restant quae narrantur in sermone Περὶ αὐταρκείας, nisi quod de eis, quae ex Platonis Phaedone derivata sunt, iam monui p. XLVI sq. de Xanthippe autem locus demonstrans quanta Socrates patientia uxorem tulerit moribus feram et agrestem, a Cynico genere minime abhorret. Cynici quid de Xanthippe senserint, loco notissimo testatur Antisthenes Xenophontis conviv. II 10: καὶ ὁ Ἀντισθένης, πῶς οὖν, ἔφη, ὦ Σώκρατες, οὕτω γιγνώσκων οὐ καὶ σὺ παιδεύεις Ξανθίππην, ἀλλὰ χρῇ γυναικὶ τῶν οὐσῶν,

οἶμαι δὲ καὶ τῶν γεγενημένων καὶ τῶν ἐσομένων χαλεπωτάτῃ; quo cum verbo comparare iuvat Teletem p. 18, 4: καὶ γυναικὸς χαλεπότητα πράως ἔφερε. nescio igitur an ne hoc quidem loco de manibus deposuerit Teles Bioneam quam exscribebat diatribam. Bionea enim origo aut multum fallor aut confirmatur indole totius loci et oratione. nam qui scripsit haec, is Socrati quae tunc adsignabantur apophthegmata vel salse dicta etiam salsiora reddere studuit humilioribus vocibus inditis et plebeis similitudinibus, quae vulgo doctorem probarent risumque moverent audientibus, cuius generis sunt ἀκούω ὥσπερ χηνός (cf. Laert. II 37) — ὀξυρεγμίᾳ (cf. Aristoph. fr. 473 K.) σπαράττειν — ὄρνιθος κορυζώσης — γυνὴ ὑώδης, ut sponte nobis in mentem veniat Bionis, qui apud Laertium IV 52 notatur tamquam πολὺς ἐν τῷ γελοίως (sic Reiske: γελοίῳ libri) διαφορῆσαι φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος. persenties opinor quid rei sit, si equi ferocioris domandi similitudinem comparaveris qua Socrates Xenophonteus utitur conviv. II 10 (cf. Diog. Laert. II 37), vel memineris quanto sint urbanius dicta et decentius, quae aliunde derivavit illorum tamen similia Plutarchus spectans ad Pittaci uxorem de tranquill. animi p. 471 B aut ad ipsam Xanthippen de cohib. ira p. 461 D: τοῦ δὲ Σωκράτους ἐκ παλαίστρας παραλαβόντος τὸν Εὐθύδημον ἡ Ξανθίππη μετ' ὀργῆς ἐπιστᾶσα καὶ λοιδορήσασα, τέλος ἀνέτρεψε τὴν τράπεζαν. ὁ δὲ Εὐθύδημος ἐξαναστὰς ἀπῄει περίλυπος γενόμενος· καὶ ὁ Σωκράτης· παρὰ σοί δέ, εἶπεν, οὐ πρῴην ὄρνις τις εἰσπτᾶσα ταὐτὸ τοῦτο ἐποίησεν; ἡμεῖς δ' οὐκ ἠγανακτήσαμεν, denique quae offert Epictetus IV 5, 33. cum autem de Xanthippes ira Socratisque patientia historiolam quandam commemorarit Antipater Tarsensis in libro Περὶ ὀργῆς (cf. Athen. XIV p. 643 F), aliam Plutarchus ut modo vidimus in libro Περὶ ἀοργησίας, haud inepte suspicabimur suas et similes Bionem protulisse et ipsum in libro quem teste Philodemo composuit Περὶ τῆς ὀργῆς. neque igitur mirum quod apud Teletem legimus talia p. 19, 5 φαίνεται γὰρ ἡ Ξανθίππη ὀξυρεγμίᾳ σπαράσσειν ἡμᾶς 19, 12 'ἀλλ' εἰ μὲν ὗς' φησίν 'ἀνέτρεψεν, οὐκ ἂν ὠργί-

ζόυ' κτέ. sed haec de Socratis apophthegmatorum origine sufficiant [1]). exsulis Attici dictum III p. 29, 9 unde fluxerit nescio. huius consimiliter formatum est illud Philemonis p. 25, 10 ss. de Cratete autem et Zenone simul et de Aristippi quodam dicto infra memorabo. restat igitur ut dicam aliquid de apophthegmatis Lacaenarum. horam autem indoles plane eadem est ac Socraticorum quae exstant in sermone Περὶ αὐταρκείας. ecce φορτικώτερον illud Borysthenitae proprium p. 58, 2: 'κακὰ φάμα τεῦ κακκέχυται· τὺ ὦν ἢ ταύταν ἀπότριψαι ἢ μηδαμεῖ φαίνευ', τοῦτο δέ ἐστιν 'ἄπαγξαι' p. 58, 10 'ποῦ' φησίν 'ἥκατε φεύγοντες; ἢ δεῦρο καταδυσόμενοι ὅθεν ἐξέδυτε;' ἀνασυραμένη καὶ δείξασα αὐτοῖς. Theodoreo autem characteri id est Bioneo haec convenire, non Stilponeo ipse confirmat Theodorus eis quae Stilponis ad Areopagitas responsum illudens iactasse narratur a Laertio II 116: ὅτε καὶ Θεόδωρον τὸν ἐπίκλην θεὸν ἐπισκώπτοντα εἰπεῖν 'πόθεν δὲ τοῦτ' ᾤδει Στίλπων; ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν κῆπον ἐθεάσατο;' ἦν δ' ἀληθῶς οὗτος μὲν θρασύτατος, Στίλπων δὲ κομψότατος. neque igitur dubito quin Doridos usum dialecti inter reliqua orationis pig-

1) Antisthenem fuisse primum, qui Socratem et Xanthippen sic contra poneret, hoc ut veri simile putem adducor eis quae disseruit Carolus Ioël *Der echte und der Xen. Sokr.* II 2 p. 722 s. nec dubito quin Bio Socratis apophthegmatorum aliquam partem ab Antisthene acceperit acceptaque suo more variarit. verum enim vero si quis quae hodie apud scriptores de Socratis adversus uxorem patientia leguntur ea vellet omnia ex solo Antisthene repetere, is vel una historiola ab Antipatro Tarsensi conservata refelleretur. hanc adpono: Athen. XIV p. 643 F ἡμεῖς δὲ ἃ μετεγράψαμεν ὀνόματα πλακούντων τούτων (τούτων Coraes: ὧν A) σοι καὶ μεταδώσομεν, οὐχ ὡς τοῦ ὑπ' (ὑπ' add. Casaub.) Ἀλκιβιάδου πεμφθέντος Σωκράτει· ὃν (malim ⟨τοῦτ⟩ον) Ξανθίππης καταπατησάσης γελάσας (sic Perizonius: καταγελασάσης A) ὁ Σωκράτης 'οὐκοῦν' ἔφη 'οὐδὲ σὺ μεθέξεις τούτου'. τοῦτο δὲ ἱστόρησεν Ἀντίπατρος ἐν τῷ πρώτῳ Περὶ ὀργῆς. emendationem Perizonii confirmant, quos non praeterire debuit de Arnim Stoic. vol. III p. 257, Aelianus v. h. XI 12 et Arr. Epict. IV 5, 33. apparet autem quae Socratem dicentem facit Antipater 'ergo placentae quam pedibus obtrivisti ne tu quidem particeps eris' eis aliquid haerere voluptarii, quod Socratis persona dignum putasse posterioris aevi Cynicos Stoicosve veri sit simile, dissimile Antisthenem.

menta non fastidierit Bio comoediae lepida exempla quasi imitatus [1]). Bionis vero sales et facetias spirant haec ridicule parvo intervallo contra posita p. 58, 9: καὶ ἐκείνη δὲ πάλιν ἡ Λάκαινα ὡς γεννική . . . ἀνασυραμένη καὶ δείξασα αὐτοῖς. unde simul labefactari videtur quod de regione in qua Περὶ ἀπαθείας sermo scriptus sit coniecit de Wilamowitz. nunc de Bione Borysthenita, ad quem iterum iterumque iam orationem vides relapsam esse, quod supra dedi solvam promissum. quo in negotio fieri non poterit quin etiam de Laertio eiusque fontibus qua par est cura disseratur. quodsi iusto longius exspatiari videbor, fortasse eo excusabor, quod de Telete recte iudicium fieri non potest nisi Bionis ratio in clariore luce posita erit, quam factum video Hoogvlietii iuvenili dissertatione (de Bione Borysth. Lugd. Bat. a. 1821) vel misera compilatione Mullachii.

Scio equidem eorum quae Laertius de Bione narrat magnam partem referendam esse ad obtrectatoris nescio cuius malignitatem. scripserat hic ultus fortasse maledicta maledictis librum probrosum non sine multa acerbitate. rem acute perspectam a Rohdio *Gr. Rom.*[1] p. 250 adn. ita illustravit

1) Apophthegmatis chriisve Dorica dialecto conceptis Bionem diatribas suas condivisse aliis interim exemplis comprobavi mus. Rhen. XLVII (a. 1892) p. 220 ss. 237 ss. res etiam eo firmatur quod in Senecae epist. 77, 14 ubi Bionis more obscena non reformidantis de Lacone impube refertur *qui captus clamabat 'non serviam' sua illa Dorica lingua, et verbis fidem imposuit: ut primum iussus est servili fungi et contumelioso ministerio, adferre enim vas obscenum iubebatur, inlisum parieti caput rupit* in eadem hac epistula (20) etiam vitae cum fabula comparatio legitur Bionea quam illustravimus infra p. CVII ss. cf. H. Weber de Senecae phil. dicendi genere Bioneo p. 48, C. Praechter *Jahresber. für Altertumsw.* LXXXXVI (1898) p. 16, R. Helm *Lucian und Menipp* p. 50 adn. 1. mireris autem quod in tanto doctorum consensu nihilo setius nuper negare ausus est Croenert l. c. p. 43 Bionis diatribas crebris apophthegmatis distinctas fuisse. sed plerique, vix ego dubito, Duemmlero pergent adstipulari Antisth. p. 70 (*Kleine Schr.* I p. 73) vel P. Wendlando (*Philo und die kynisch-st. Diatr.* p. 3), qui diatribas Bionis apophthegmatum chriarumque usu affluxisse concluserunt vel ex sola imitatione Teletea. nec aliter iudicavit Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 38 et ib. adn. 108. de Gomperzio autem vide quae commemoravi p. LIV adn. 1.

Wachsmuth sillogr.[2] p. 75 sq. ut perpauca hodie addi posse videantur. infestum eius libri consilium nescio an ex nulla re magis patefiat quam quod etiam vani Chalcidensium rumoris de superstitione cui Bio indulserit moribundus ratio habetur certi auctoris nomine non addito: καὶ ὕστερόν ποτε ἐμπεσὼν εἰς νόσον, ὡς ἔφασκον οἱ ἐν Χαλκίδι — αὐτόθι γὰρ καὶ κατέστρεψε — περίαπτα λαβεῖν ἐπείσθη καὶ μεταγινώσκειν ἐφ' οἷς ἐπλημμέλησεν εἰς τὸ θεῖον (D. L. IV 54). eo autem aptiora haec videbantur ad Bionem infamandum, quo paratiorem semper se praedicaverat e vita discedere [1]) quoque ferebantur acerbius quibus superstitionis quodvis genus irriserat. audi festivam superstitiosi descriptionem quam tradidit Plutarchus p. 168 D: ἔξω κάθηται (sc. ὁ δεισιδαίμων) σακκίον ἔχων καὶ περιεζωσμένος ῥάκεσι ῥυπαροῖς, πολλάκις δὲ γυμνὸς ἐν πηλῷ κυλινδούμενος (cf. Tel. p. 34, 3), ἐξαγορεύει τινὰς ἁμαρτίας αὑτοῦ καὶ πλημμελείας ὡς τόδε φαγόντος ἢ πιόντος ἢ βαδίσαντος ὁδὸν ἣν οὐκ εἴα τὸ δαιμόνιον. ἂν δ' ἄριστα πράττῃ καὶ συνῇ πράῳ δεισιδαιμονίᾳ, περιθειούμενος οἴκοι κάθηται καὶ περιματτόμενος, αἱ δὲ γρᾶες 'καθάπερ παττάλῳ' φησὶν ὁ Βίων 'ὅ τι ἂν τύχωσιν αὐτῷ περιάπτουσι φέρουσαι καὶ περιαρτῶσι'. confirmatur quod dixi verbis ex-

1) De morte contemnenda multa disputaverat Bio serio iocoque. praeter Teletem II p. 15, 11 ss. cf. gnomol. Vatic. 160: Βίων ἔλεγε δύο διδασκαλίας θανάτου εἶναι, τόν τε πρὸ τοῦ γενέσθαι χρόνον καὶ τὸν ὕπνον. Bianti idem adscribitur flor. Mon. 171 sed loco extremo postque alia Biantea (ὁ αὐτὸς ἔλεγε κτέ.), qua re loci sublestior fit fides, Anaxagorae idem a Stobaeo flor. 120, 19 Mein. quod servavit Laertius IV 49: εὔκολον ἔφασκε (sc. Βίων) τὴν εἰς ᾅδου ὁδόν· καταμύοντας γοῦν ἀπιέναι, id verboso commentario illustrat Leonidas Stob. flor. 120, 9 Mein. (= Geffcken 'Leonidas von Tarent' l. c. p. 41)

Εὔθυμος ὢν ἔρεσσε τὴν ἐπ' Ἄϊδος
ἀταρπὸν ἕρπων· οὐ γάρ ἐστι δύσβατος
οὐδὲ σκαληνὸς οὐδ' ἐνίπλεος πλάνης,
ἰθεῖα δ' ᾗ μάλιστα καὶ κατακλινὴς
ἅπασα κἠκ μεμυκότων ὁδεύεται.

δ

ubi lemma λεωνι offert S λεωνίδα A λεωνίδου Tr., deest ecloga in M. in versu tertio οὐδενιπλεος sine acc. S οὐδενὶ πλέον A οὐδενὸς πλέως Tr. οὐδ' ἐνίπλεως cod. Paris. 1895 teste Gaisfordo. ἐνίπλειος Geffcken.

tremis quibus Bionis nomen appositum est. sed ut praeteriens hoc moneam, paulo acrius intuenti non dubium erit quin ea quae praecedunt ex eodem fonte derivata sint. orationis tenor prorsus similis est eius quem infra in avari notatione sibimet ipsi suscensentis observabimus. accedit quod comoediae locus respicitur quem servavit Porphyrius de abstin. IV p. 253, 4 alt. ed. Nauck.: τὸ μέντοι τῶν ἰχθύων ἀπέχεσθαι ἄχρι τῶν Μενάνδρου χρόνων τοῦ κωμικοῦ διέμεινεν· λέγει γάρ·

παράδειγμα τοὺς Σύρους λαβέ·
ὅταν φάγωσ' ἰχθὺν ἐκεῖνοι διά τινα
αὐτῶν ἀκρασίαν, τὼ πόδε καὶ τὴν γαστέρα
οἰδοῦσιν, ἔλαβον σακίον, εἶτ' εἰς τὴν ὁδὸν
ἐκάθισαν αὐτοὺς ἐπὶ κόπρου καὶ τὴν θεὸν
ἐξιλάσαντο τοῦ ταπεινῶσαι [1]) σφόδρα.

Syrosque piscibus religiose abstinuisse commemorat etiam Teles loco Bioneis ne plus dicam vicino p. 22, 2. recte enim restituitur sententia Porsoni vel Cobeti explemento. quid quod in alio eiusdem Plutarchei libri loco non modo Syrorum superstitionis sed etiam deae Syriae (cf. Menandri τὴν θεὸν ἐξιλάσαντο) mentio fit p. 170 C: τῆς γοῦν Ἑκάβης προβαλλόμεθα τὴν πικρίαν ὡς βάρβαρον καὶ θηριώδη λεγούσης

τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι
ἐσθέμεναι προσφῦσα (Il. XXIV 212),

τὴν δὲ Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν, ἂν μαινίδας τις ἢ ἀφύας φάγῃ, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπράναι, συντήκειν τὸ ἧπαρ: ut eundem haec scripsisse probabile sit, qui antea Menandri locum respexerat. is num ipse fuit Plutarchus? visum sic est olim Meinekio cum breviter moneret (com. IV p. 100) multa haud dubie in suum de superstitione libellum derivasse Plutarchum ex Menandri Deisidaemone, cui versus a Porphyrio servatos tribuerat Clericus. mihi secus videtur statuendum esse. comoediam aeque atque Homerum ni fallor more suo expilaverat Bio, Bioneis usus est, ut ipse pro-

1) τῷ pro τοῦ Clericus, ταπεινοῦσθαι quod sibi tribuit Kock com. III p. 164, iam commemorat Meineke M. et Ph. fr. (Berol. 1823) p. 45.

didit nomine non celato Plutarchus. e comoedia autem quantum sumpserit Bio superstitionem castigans, commonstratur alio exemplo iam supra (p. LIII) adlato ex Clemente Alexandrino strom. VII 4, 24 qui etiam fontem indicavit. ecce versus feliciter a Porsono (in Eur. Med. 139 n. XI) restitutos:

ἂν μῦς διορύξῃ βωμὸν ὄντα πήλινον,
κἂν μηδὲν ἄλλ' ἔχων διατράγῃ θύλακον,
ἀλεκτρυὼν τρεφόμενος ἂν ἀφ' ἑσπέρας
ἄσῃ, τιθέμενοι τοῦτο σημεῖόν τινος . . .

subit autem suspicio haud ita pauca eorum quae in septimi libri capite quarto Clemens offert ad Bionem revocanda esse suntque indicia quibus coniectura stabiliri possit. neu quisquam crediderit Plutarchi librum exhaustum esse pauculis locis supra indicatis, sed nolo longius exspatiari [1]). ceterum quam multus fuerit Bio in eis quae ad vulgi vanas de dis opiniones faciebant irridendas vel ad exagitandas vatum fraudes ac fallacias simi-emque superstitionem traducendam non modo apophthegmate illo elucet quo poena mysteriis non initiatorum apud inferos illuditur (Laert. IV 50), sed etiam clarius Menedemi Eretriensis dicterio (Laert. II 135): Βίωνός τε ἐπιμελῶς κατατρέχοντος τῶν μάντεων νεκροὺς αὐτὸν ἐπισφάττειν ἔλεγε. vides igitur, ut redeat unde deflexit oratio, quanta stimulatus malignitate auctor Laertii Bionem rettulerit moriturum ad amuletorum usum

1) Unum locum silentio non praeteribo p. 169 E: ἐστεφανωμένος ὀχριᾷ (sc. ὁ δεισιδαίμων), θύει καὶ φοβεῖται, εὔχεται φωνῇ παλλομένῃ καὶ χερσὶν ἐπιθυμιᾷ τρεμούσαις, καὶ ὅλως ἀποδείκνυσι τὸν Πυθαγόρου λόγον ἀλύαρον εἰπόντος ὅτι 'βέλτιστοι γιγνόμεθα πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζοντες'· τότε γὰρ ἀθλιώτατα καὶ κάκιστα πράττουσιν οἱ δεισιδαίμονες, ὥσπερ ἄρκτων ἀμολεοῖς ἢ χειαῖς δρακόντων ἢ μυχοῖς κητῶν τοῖς τῶν θεῶν μεγάροις ἢ ἀνακτόροις προσιόντες. nolim quasi hariolus colligere ex solo orationis colore, sed lepida comparatio festivaque similium terrorum coacervatio mihi Bionem redolet. aliquot huius ubertatis aut redundantiae exempla supra collegi p. XXVII. maioris momenti est quod apud eundem Plutarchum de def. orac. p. 413 B Didymus Cynicus frivolas castigans causas quibus homines oracula consulant conqueritur κατὰ κράτος ἐξελέγχεσθαι τὸν Πυθαγόραν εἰπόντα βελτίστους ἑαυτῶν γίγνεσθαι τοὺς ἀνθρώπους, ὅταν πρὸς τοὺς θεοὺς βαδίζωσιν. cf. Hirzel *Dial.* II p. 157, 3.

confugisse ut ad superstitionem maxime anilem [1]). item alia haud pauca de vita Bionea studiisque referens malevole in peiorem vertisse partem se ipse prodit auctor ille vel invitus. velut quae de nautis Rhodiis audierat (ἐν γοῦν Ῥόδῳ τοὺς ναύτας ἔπεισε σχολαστικὰς ἐσθῆτας ἀναλαβεῖν καὶ ἀκολουθῆσαι αὐτῷ, σὺν οἷς εἰσβάλλων εἰς τὸ γυμνάσιον περίβλεπτος ἦν Laert. IV 53) crederes laudi duci Bioni, quod ea fuisset viri vis dicendi et facundia, qua vel nautarum animi a philosophia aversi aliquamdiu detinerentur; conferantur exempli gratia quae narrantur de Stilpone Laert. II 119 vel de Diogenis mirabili suadela VI 75. sed inique rem ita interpretatus est adversarius, quasi ostentationis causa Bio gymnasium intrasset comitatus caterva nauticorum tribonio indutorum, ne quid scaenae deesset: ἦν δὲ... ἐνίοτε καὶ φαντασίαν ἐπιτεχνώμενος (Laert. l. c.). nec profecto humanius idem scripsit haec (53): ἀλλὰ καὶ φίλαυτος ἦν ἰσχυρῶς καὶ πολὺς ἐγκείμενος τῷ Κοινὰ τὰ φίλων, παρ' ὃ καὶ οὐδεὶς μαθητὴς αὐτοῦ ἐπιγράφεται, τοσούτων αὐτῷ σχολασάντων. vetere proverbio saepius usus sit Bio, sed vix dubitabis quin ita usus sit, ut non tam fortunarum quam morum ac sapientiae spectaret communionem, οὐ δήπου τὰ χρήματα λέγων μόνον, si imp. Iuliani interpretationem adhibere licet or. VIII v. I p. 317 Hertl., ἀλλὰ καὶ τὴν τοῦ νοῦ καὶ τῆς φρονήσεως κοινωνίαν. sed singillatim haec persequi eorum fuerit qui qualis esset natura scriptoris ante nos dixerunt.

Verum enim vero hac Rohdii Wachsmuthiique observatione res ad finem non perducitur. immo non desunt indicia quibus arguatur initium capitis Laertiani 46 et 47 Βίων τὸ μὲν γένος — καταλέλοιπεν ὑπομνήματα (p. 105, 1—24 Cob.) ex alio fluxisse fonte atque ea quae 51 inde a verbis οὗτος τὴν ἀρχὴν μὲν (p. 106, 26 Cob.) narrantur uberius [2]). non fugit id Bahn-

1) Comprobarunt interim sententiam meam Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 35 adn. 104b et Th. Gomperz *Gr. Denker* II p. 555.

2) Hanc alteram partem non a tmemate 51 exordium sumere, sed potius a verbis 52 ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς κτέ. arbitratur Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 32 adn. 96. cf. etiam quae idem disseruit in Fleckeiseni annal. CXLI (1890) p. 187 ss. Leo *Die gr.-röm. Biogr.* p. 65.

schium quaestionum de Diog. Laert. fontibus p. 29, cui memorabile visum est, quod Laertius 'cum § 47 breviter de Bionis natura et indole locutus sit, post apophthegmata de eadem re accuratius disserit.' adice quod quae de humili suo ortu narrat Bio cum libertate vere cynica eo adferuntur consilio, ut veritas in clara luce ponatur contra calumniatorum rumores. quod ni ita esset, non hoc scriptor exordio usus esset quo utitur: αὐτὸς (Bio) Ἀντιγόνῳ διασαφεῖ . . . αἰσθόμενος ὅτι προδιαβέβληται (cf. Stob. flor. 86, 13 Mein.), φησὶ πρὸς αὐτόν κτέ. nam si iniquiore adversus Bionem mente haec protulisset, vereor ne additurus fuerit non puduisse Bionem talia de suis ipsum parentibus enarrare vel simile opprobrium. cur autem verba καὶ ἦν ὡς ἀληθῶς ὁ Βίων — καταλέλοιπεν ὑπομνήματα ab eodem auctore profecta esse negemus, qui initium scripsit, causam non reperio. cautius igitur existimo priorem quam signavi partem a reliquorum fonte segregare. forsitan obiciat aliquis iudicio illo quod in priore parte legitur, inprimis his verbis ἔν τισι δὲ καὶ πομπικὸς καὶ ἀπολαῦσαι τύφου δυνάμενος animum prodi Bioni non magis faventem quam eis quae infra exponuntur. audio. sed eo ipso quod iudicium illi simillimum infra iteratur (52 ἦν δὲ καὶ θεατρικός), alteram potius de duobus fontibus sententiam confirmari concedes Bahnschio (l. c. p. 29). neque igitur obstabo quominus iudicium illud (ἔν τισι κτέ.) quod quantopere conveniat cum Theophrasteo vel Straboniano facile intellegitur, compluribus veterum placuisse credatur. iam ut singula compilationis Laertianae tmemata eo quo inter se excipiunt ordine subiciam, priori illi parti adnectitur apophthegmatum collectio. quae adnecti ut posset, post verba πλεῖστά τε καταλέλοιπεν ὑπομνήματα compilator haec inculcavit satis inepte: ἀλλὰ καὶ ἀποφθέγματα χρειώδη πραγματείαν περιέχοντα, οἷον . . . neque enim 'apophthegmata' scripsit Bio sed diatribas apophthegmatis vel chriis bene conditas: vid. Duemmler Antisth. p. 70. ipsum Laertium apophthegmatum quandam collectionem excerpsisse (47—51) putat de Wilamowitz *Philol. Unters.* IV p. 329. id utut est, non ubique satis intellegentem fuisse excerptorem infra commonstrabo. apo-

phthegmatis relatis iam ad alium fontem se convertit compilator (p. 106, 26 Cob.) a priore diversum, ad scriptorem Bioni valde infestum. hinc hausta videntur quae subsequuntur omnia exceptis eis quae ex Favorini omnigena historia se addidisse ipse indicat compilator: καὶ ἠκολούθει γε κτέ. 'Bionem aegrotum in lectica sequitur Antigonus (IV 54), cum quo coniungendum quod de Theophrasti lectica traditur (V 41), ubi liber Favorini non indicatus est' recte de Wilamowitz *Philol. Unters.* III p. 144. finem faciunt versus Laertii et homonymorum catalogus. neque igitur plura ex Favorino Laertium adsumpsisse crediderim: inde quod περιπατητικὸς appellari videtur Bio in Favorini gnomologicis (vid. Freudenthal mus. Rhen. XXXV p. 412 n. 6), nihil aliud quam Arelatensi hoc non ignotum fuisse efficitur etiam Theophrasto aliquando vacasse Bionem. et ὁ περιπατητικός illud quod praebet codex Paris. gr. 1168 f. 106^{v} confirmatur gnomologii Vaticani a Sternbachio editi n. 161, quamquam deest in libris Stobaei flor. 105, 56, a quo Favorinum exscriptum esse animadvertit Freudenthal l. c. p. 424.

Levioris momenti particulas ut nunc omittamus, duos potissimum in Laertii stagno fontes discrevimus. quorum de auctoribus quod addam non habeo nisi me eius commonitum esse qui vitam Arcesilai IV 40 sq. ex famoso Ἀριστίππου περὶ παλαιᾶς τρυφῆς libro ditavit, ut coniecit de Wilamowitz l. c. IV p. 50 sq. nam ex orationis colore si quid concludere licet, qui de Bione scripsit IV 51 sq.: εἶτ' ἐπανείλετο τὴν κυνικὴν ἀγωγὴν λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν· καὶ τί γὰρ ἄλλο μετεσκεύασεν αὐτὸν πρὸς ἀπάθειαν; ἔπειτα ἐπὶ τὰ Θεοδώρεια μετῆλθε κτέ. is non dispar videtur illi cuius haec sunt de Arcesilao IV 40: πολυτελὴς δὲ ἄγαν ὢν καὶ τί γὰρ ἄλλο ἢ ἕτερος Ἀρίστιππος; (cf. schol. Pers. III 79) ἐπὶ τὰ δεῖπνα πρὸς τοὺς ὁμοιοτρόπους μέν, πλὴν ἀλλ' ἀπήντα. neque enim recte de Bione dicta sic corrigi iussit Hirzel *Unters.* II 1 p. 60 adn. 2: λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν καὶ τἄλλα ἅπερ μετεσκεύασεν vel καὶ ὅτι περ ἄλλο μετεσκεύασεν. colligendas puto, non corrigendas tales dicendi formulas, candida vestigia scriptorum alia principalium alia poste-

riorum. sive igitur ad cynismum olim hoc spectabat *quid enim aliud eum traduxit ad apathian?* sive quod καὶ particula argui videtur, ad Theodorea, nolim oblitterare τί γὰρ ἄλλο[1]). orationis autem similitudini per se fortasse levi non leve momentum accedit ex indole utriusque loci et argumento. Arcesilai vitae tmema fere totum expletur turpium philosophi amorum enarratione, non modo πολυτελής sed etiam φιλομειράκιός τε καὶ καταφερής appellatur Arcesilaus, ὅθεν οἱ περὶ Ἀρίστωνα τὸν Χῖον στωικὸν ἐπεκάλουν αὐτῷ φθορέα τῶν νέων καὶ κιναιδολόγον καὶ θρασὺν ἀποκαλοῦντες. (41) καὶ γὰρ δὴ καὶ Δημητρίου τοῦ πλεύσαντος εἰς Κυρήνην ἐπὶ πλέον ἐρασθῆναι λέγεται καὶ Κλεοχάρους τοῦ Μυρλεανοῦ· κτέ. similis certe farinae sunt quae narrantur de Bione: ἦν δὲ πολυτελής . . . εἰώθει τε νεανίσκων τινῶν υἱοθεσίας ποιεῖσθαι εἰς τὸ ἀποχρῆσθαι αὐτοῖς ἔς τε τὰς ἡδονὰς καὶ ὥστε φυλάττεσθαι ὑπ' εὐνοίας αὐτῶν . . . καίτοι τινὰς εἰς ἀναισχυντίαν προῆγεν. (54) ὁ γοῦν Βητίων (?) εἷς τῶν συνήθων αὐτῷ πρὸς Μενέδημόν ποτε λέγεται εἰπεῖν· 'ἐγώ τοι, ὦ Μενέδημε, νύκτωρ συνδέομαι Βίωνι καὶ οὐδὲν ἄτοπον δοκῶ μοι πεπονθέναι.' uterque sumptuosus dicitur lubidinosus corruptor iuventutis, tam Bio quam Arcesilaus. vide igitur ne in alteram Bioneae vitae particulam non nihil ex eodem defluxerit fonte ex quo haustum est ad vitam Arcesilai. nec obstat huic suspicioni quod in Arcesilao ad Stoicorum respicitur convicia. Stoicum aliquem Bioni aequalem in vita Bionea iam Rohde l. c. cogitasse videtur idque satis apte[2]). nam cum Zenoneis Borysthenitam inimicitias exercuisse apparet dicterio in Persaeum 'Ζήνωνος οἰκιτιέα' quod rettulit Athenaeus IV p. 162 d, tum eis quae ad Antigonum

1) Interim mihi ex parte assensus sententiam suam ita mutavit Hirzel (*Der Dial.* I p. 376 adn. 1), ut Diogenis verba quae aguntur IV 51 sic potius scribenda putaret: εἶτ' ἐπανείλετο τὴν κυνικὴν ἀγωγὴν λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν καὶ τί γὰρ ἄλλο ἢ μετεσκεύασεν αὐτὸν πρὸς ἀπάθειαν *d. h. seine ganze Bekehrung zur Apathie und zum Kynismus bestand darin, dass er das Kostüm der Schule anlegte.*

2) Certa nec olim mihi visa est haec suspicio nec videtur hodie. nolim igitur repugnare Susemihli iudicio *Gesch. der gr. Litt.* I p. 33 adn. 96 extr.

Gonatam scripsisse ille narratur apud Laertium. quibus simul manifestari videtur priorem quam significavimus vitae particulam a Stoicis alienam esse. neque enim talia Bionem adicientem fecisset Stoicus: ὥστε παυσάσθωσαν Περσαῖός τε καὶ Φιλωνίδης (cf. Laert. VII 9. 38) ἱστοροῦντες αὐτά. eo magis quae alteri parti insunt malivolae obtrectationes simultati Stoicorum conveniunt, quamquam vix credo cum Aristone Chio nobis rem esse Stoico paene Cynico, de quo nota sint Zenonis et Chrysippi acerbiora iudicia. ceterum coniecturam quam periclitatus sum nolim ita intellegi quasi hanc alteram vitae particulam ex 'Aristippi' περὶ παλαιᾶς τρυφῆς libro desumptam esse quovis pignore contenderim. immo ex hoc libro cuius aliquam nobis imaginem primus adumbravit de Wilamowitz ne Arcesilai quidem vitae locum repetitum esse penitus mihi persuasum est. nihil igitur dico nisi hoc: cui posterior vitae Bioneae particula debetur, idem ille videtur esse qui Arcesilai vitae locum conscripsit isque eiusdem generis fontibus quibus ille usus fidei suspectis mihi aliisque.

Iam quo modo subsidiis suis usus sit compilator, uno saltem loco ostendam eo quo de sectis praeceptoribusque quibus studia sua accommodaverit Bio agitur. ac Diogenis verba sic mihi feliciter restituisse videtur Hirzel l. c.: οὗτος τὴν ἀρχὴν μὲν προῃρεῖτο (προῃρεῖτο vel προῄρητο Hirzel, ἐπανῃρεῖτο olim Lennep: παρῃτεῖτο libri quod ortum videtur ex antecedenti παρῃτῆσθαι) τὰ Ἀκαδημαϊκά, καθ' ὃν χρόνον ἤκουε Κράτητος· εἶτ' ἐπανείλετο τὴν κυνικὴν ἀγωγὴν λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν· καὶ τί γὰρ ἄλλο μετεσκεύασεν αὐτὸν πρὸς ἀπάθειαν; ἔπειτα ἐπὶ τὰ Θεοδώρεια μετῆλθε διακούσας Θεοδώρου τοῦ ἀθέου κατὰ πᾶν εἶδος λόγου σοφιστεύοντος· μεθ' ὃν Θεοφράστου διήκουσε τοῦ περιπατητικοῦ. nam προῃρεῖτο utique reddendum est Laertio quippe qui Arcesilaum et Bionem inter Cratetis Academici μαθητὰς ἐλλογίμους numeret IV 23 tractetque Bionem inter Academicos post Arcesilaum (ἐχομένως Ἀρκεσιλάου). quamquam falsum esse quod de Cratete Academico tamquam Bionis praeceptore traditur temporum ratione ut doceret operam dedit Zeller *Phil.*[4] II 1 p. 342

adn. 2. idemque ita scrupulum removeri posse censet, ut ponatur Cratetem Academicum apud Laertium cum Xenocrate confusum esse aut cum Cratete Cynico. at erravisse virum egregium aliosque, inter quos et ego eram et de Arnim in Pauly-Wiss. encycl. III 483 s., in errorem secum deduxisse interim intellectum est. nam quod bis testatur Diogenes Laertius (IV 23 et 51) vacasse etiam Crateti Academico Bionem quodque his testimoniis congruens eum inter Arcesilan et Lacyden collocavit, id ut per se ipsum dubitationibus infringi non poterit ita confirmatur etiam Academicorum philos. ind. Hercul. col. XVI p. 62, 30 Mekler, ubi secundum Gomperzii supplementa (cf. *Philos. Aufs. Eduard Zeller gew.* p. 149) nonnulli dicuntur (Βίωνα τὸν Β]ορυσθενίτην inter Cratetis discipulos numerasse, quibus mox adicitur etiam Arcesilas isque item congruenter Laertio. neque igitur mirum quod horum testimoniorum vi coniuncta confisis Bionem aliquando etiam inter Cratetis auditores fuisse viris doctis persuasum est, velut Hirzelio *Der Dial.* I p. 375 adn. 1 F. Leoni *Die gr.-röm. Biogr.* p. 70 Th. Gomperzio *Gr. Denker* II p. 555 Meklero l. c., ita tamen ut Zelleri observationis ratione habita de temporum ordine quo Bionem Crateti Academico ceterisque philosophis se adplicuisse tradidit Laertius recedendum esse monuerint tam Leo quam Gomperz. adpono Gomperzii iudicium quod meum facere non dubito: 'Ich gebe daher aus naheliegenden Gründen lieber die Reihenfolge von Bions Studien preis, als die einzelnen Notizen, die in diesen und anderen Fällen fast sicherlich aus den Inscriptions-Verzeichnissen der Schulen selbst geflossen sind. Eben darum beweisen solche Angaben auch nicht das Mindeste für eine nachhaltige Beeinflussung des Schülers durch den Lehrer; und auch das darf nicht vergessen werden, dass selbst eine vorgerückte Lebensstufe mit dem Besuch von Vorlesungen nicht unvereinbar ist'. quo tempore igitur Cratetis Academici scholis interfuerit Bio quamve diu, hodie finiri nequit. nec tamen maioris momenti fuit Academia ad ipsius sapientiam conformandam, quae est sententia ut Gomperzii sic iam Arnimii l. c. p. 484

dubito autem num in hac quaestione liceat urguere quod Platonica Socratis morientis descriptione uti videtur Bio (cf. supra p. XLVI), ut taceam de ioco Arcesilai. erat autem in castris Cynicorum Bio donec se applicavit ad Theodorum. hoc recte se habere quae restant ex scriptis Bionis liquido confirmant. Theodorum autem auditum esse a Bione ante annum 306 mihi persuasit Zeller. ceterum etiam Theophrasto vacavit nec praeteriens tantum, si quidem recte legitur apud Laertium μεθ' ὃν Θεοφράστου διήκουσε τοῦ περιπατητικοῦ. unde περιπατητικός ipse dicitur Favorino ut videtur (supra p. LXIV). Theophrasti autem studium, si summae eorum quae sub Bionis nomine traduntur fidere licet, non ita interpretaberis quasi Cynicorum sapientiae vel Theodoreae valedicens ad Peripateticorum ille sectam transfugerit. neque rectius erit quae Peripateticae scholae et Cynicae in parte morali erant communia ea suspendere in trutina. multo certe maioris est momenti quod Theophrastus quem scimus scripsisse non modo characteron libellum sed etiam περὶ ἠθῶν libros nec non περὶ βίων (Diog. Laert. V 42; Usener anal. Theophr. p. 22 Petersen Theophr. charact. p. 114 Gomperz *Ueber die charakt. Theophrast's* p. 19 adn. 19) mirum quantum valuit et in vita hominum fideliter repraesentanda et in moribus festive imitandis, severitatem disciplinae lepore temperans et hilaritate. quid quod mimi ethologi artem aemulatus non modo mores eius quem descripsit sed etiam vultum et gestum exprimere callebat teste Hermippo Athen. I p. 21 A. quantum vero dando accipiendo Theophrastus novaeque comoediae poetae inter se adiuverint in vita cotidiana observanda moribusque humanis depingendis, post Casaubonum summatim exposuit Petersen Theophr. charact. p. 102 sqq. neque igitur dubito quin Bio Theophrasti potissimum recitationibus ac libris aluerit facultatem vitia virtutesque certis signis et notis describendi[1]). sed coniectura vix opus est. notum est enim Aristo-

1) Sententiae huius interim particeps esse voluit de Arnim in Wissowae encyclop. III p. 484. pauca hodie inter Bionea esse, non deesse tamen quae cum Theophrasti characteron libro similitudine quadam

nem Peripateticum Βίωνος ζηλωτὴν audire Straboni X 5, 6. Aristonis autem characterismi non modo Theophrasteis notationibus similes erant sed etiam Bioneis. illud acute perspexit Sauppe Philodemi de vitiis lib. X p. 6, cuius docta disputatione hoc effectum est, ut Aristonem a Philodemo ibi X 10 commemoratum Cium esse, non Chium iam constet (vid. I. L. Ussing Theophr. charact. p. 159 sq. Gomperz l. c. adn. 14). cum Bioneis autem cognatio perspicitur auxilio Philodemei Περὶ ὀργῆς libri, quo posterius utar. non nego praeter ingenii quandam cognationem acerrimumque illud morum pernoscendorum studium etiam alias res cogitari posse, quibus ad audiendum invitaverit Bionem 'elegantissimus omnium philosophorum et eruditissimus' (Cic. Tusc. disp. V 9, 24) cum praesertim scripserit Theophrastus etiam Περὶ γελοίου librum, cf. Diog. Laert. V 46 Athen. VIII p. 348 A, Sternbach in gnomol. Vat. 327. sed rem certam maiorisque momenti attulisse sufficiet. ceterum vel sic facile intellegetur factum ut Bioneo philosophandi more modoque ipsius philosophiae auctoritatem imminui crederet Aristotelis discipulus. forte autem fortuna accidit ut Theophrasteum de Bione iudicium servatum sit.

Quoniam fontes vitae Laertianae quales fuerint paucis adumbrare conati sumus vidimusque compilatorem etiam libro usum esse Bioni infesto, cavendum nihilo minus erit ac vitandum vitium nimiae credulitati contrarium. nam quemadmodum illa de Cynico Bione vel Theodoreo Bioneis reliquiis abunde confirmari videbimus, sic inter reliqua quae apud Laertium exstant iudicia haud pauca sunt, quae falleretur siquis ex male dicendi studio vel calumniandi lubidine repeteret. immo iniquioribus falsisque admixta sunt quae veritati nihil repugnent. nec solum in priore illa particula, ubi haec (47) καὶ ἦν ὡς ἀληθῶς ὁ Βίων τὰ μὲν ἄλλα πολύτροπος καὶ σοφιστὴς ποικίλος καὶ πλείστας ἀφορ-

---

coniuncta sint, apte monuit P. Wendland Philol. LVII (a. 1898) p. 122. cf. Theophr. char. 16, 6 et quae in Lipsiensium editione adnotavit Immisch p. 125. praeterea char. 30, 7 utiliter comparavit Wendland cum Hor. sat. I 1, 46 ss.

μὰς δεδωκὼς τοῖς βουλομένοις καθιππάζεσθαι τῆς φιλοσοφίας quam recte se habeant explicavit Wachsmuth sill.[2] p. 74 adn. 3, haud minus vera esse patet quae leguntur IV 52: εὐφυὴς γὰρ ἦν καὶ παρῳδῆσαι vel quae deinceps (53): καὶ ὅλως καὶ μουσικὴν καὶ γεωμετρίαν διέπαιζεν, cf. Wachsmuth l. c. p. 67 et 77. item huic subscribendum est iudicio (Laert. IV 52): ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίως διαφορῆσαι, φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος, ubi θεατρικός ad prosopopoeias rettulit Wachsmuth p. 76. et recte ille quidem. quamquam si singulare orationis artificium excipere voles, non minore iure de 'dictis mirabilibus' quae infra commemorabo quam de prosopopoeiis cogitare licebit. conferatur de hoc vocabuli usu Plutarchus mor. p. 1076 C, quem locum recte explicavit Kock com. III p. 206. ad universam igitur disserendi rationem id vocabulum refero nimium intellegens orationis ornatum propter crebras similitudines non minus quam propter alia lenocinia scaenae aptiorem quam philosophiae sacrario. theatricus enim mihi audit philosophus, qui philosophatur πρὸς ὄχλον καὶ θέατρον (Ps.-Plat. Axioch. p. 370 D), qui in speciem laborat risum captans vel plausum et acclamationem[1]) magnoque separatur intervallo ab illo cui alter philosophus 'satis magnum theatrum est' (Epicur. fr. 208 Us.). veramque esse hanc interpretationem ipse eo indicat scriptor, quod verbis ἦν δὲ καὶ θεατρικὸς — κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος via quasi munitur ad severum illud sed verum Theophrasti vel Eratosthenis de meretriciis ornamentis quibus Bio philosophiam induerit iudicium. pergit enim Laertius: διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει κεκρᾶσθαι λόγου φασὶ λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένη ὡς πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀν-

1) Vix aliter interim rem intellegi voluit Hirzel *Der Dial.* I p. 377 et ib. adn. 1 cum scriberet haec: 'Er wollte geistreich erscheinen und blenden; um den Effekt war es ihm zu tun (adn. 1: θεατρικός heisst er bei Diog. IV 52)'. quamquam ab hac interpretatione mox paululum declinans (adn. 3) idem vir doctus voce θεατρικός potius orationem Bionis indicari opinatur sublimia humilibus miscentem. ego meam finitionem retineo, et adsentitur mihi Susemihl l. c. I p. 37 adn. 107, Wachsmuthio mihique, ut videtur, Leo *Die gr.-röm. Biogr.* p. 66.

ϑινὰ ἐνέδυσεν, nec obscurum est quid velit quod supra additum invenimus καὶ πολὺς ἐν τῷ γελοίως διαφορῆσαι, φορτικοῖς ὀνόμασι κατὰ τῶν πραγμάτων χρώμενος. intellegenda sunt verba ad nudam vitae veritatem expressa eademque spurciora haud raro vel immundiora. similem morem in declamatoribus Romanis Seneca pater notavit simulque causam rei declaravit velut in Albucio controv. VII praef. 3: 'splendidissimus erat, idem res dicebat omnium sordidissimas, acetum et puleium et lanternas et psilothrum et spongias, nihil putabat esse quod dici in declamatione non posset; erat autem illa causa: timebat ne scholasticus videretur.' Laertii verba apte illustrabit Ps.-Plutarchus de lib. educ. p. 5 C: τό γε παράγγελμα τοῦ Διογένους ἔμαϑον ἄν, ὃς φορτικῶς μὲν τοῖς ῥήμασιν ἀληϑῶς δὲ τοῖς πράγμασι παραινεῖ καί φησιν 'εἴσελϑε εἰς πορνεῖον παῖ, ἵνα μάϑῃς ὅτι τῶν ἀξίων τὰ τίμια οὐδὲν διαφέρει.' et de ipso Bione haec habet Plutarchus amat. p. 770 B: ἔτι δὲ φορτικώτερον ὁ σοφιστὴς Βίων τὰς τῶν καλῶν τρίχας 'Αρμοδίους ἐκάλει καὶ 'Αριστογείτονας, ὡς ἅμα καλῆς τυραννίδος ἀπαλλαττομένους ὑπ' αὐτῶν τοὺς ἐραστάς. explicatur res turpis (cf. Batonis fab. inc. fr. 1 extr. Com. IV p. 504 Mein.) his quae praecedunt: ἀλλ' ἵνα μὴ μακρὰν ἀποπλανᾶσϑαι δοκῶμεν ἢ κομιδῇ φλυαρεῖν, οἶσϑα τοὺς παιδικοὺς ἔρωτας ὡς εἰς ἀβεβαιότητα πολλὰ λέγουσι καὶ σκώπτουσι λέγοντες, ὥσπερ ᾠὸν αὐτῶν τριχὶ διαιρεῖσϑαι τὴν φιλίαν, αὐτοὺς δὲ νομάδων δίκην ἐνεαρίζοντας τοῖς τεϑηλόσι καὶ ἀνϑηροῖς εἶϑ' ὡς (sic Bernard.: εὐϑὺς libri) ἐκ τῆς πολεμίας ἀναστρατοπεδεύειν. quae si comparaveris cum apophthegmate quod servavit Stobaeus flor. 66, 5 M.: Βίων πρὸς τοὺς λέγοντας ὅτι τυραννίδα ἔχει τὸ κάλλος 'φεῦ' ἔλεγε 'τυραννίδος τριχὶ καταλυομένης,' facile opinor intelleges totum Plutarchi locum ex Bionea quadam diatriba adsumptum esse. ceterum cf. gnomol. Vatic. 262 ed. Sternb. novum autem huius generis exemplum idque certum nuper monstravit Buecheler mus. Rhen. XXXXIII p. 153. etenim Philodemus in libro Περὶ ὀργῆς, cuius priorem partem fere ad Bionem redire iste per-

spexit (cf. col. I 16 Gomp.: ὡς Βίων ἐν τῷ περὶ τῆς ὀργῆς [1]) haec habet aperte Bionea col. XXI 25 sqq.: τοσοῦτο γὰρ ἕκαστος ἀπολείπει τοῦ προσπελάζειν τοῖς τοιούτοις ὁμειλήσων, ὡς καὶ φεύγει περιληφθεὶς ἀπὸ τύχης ἐν κουρείοις ἢ μυροπωλίοις ἢ συμποσίοις ἢ παρακαθίσας ἐν θεάτροις ὡς κύνα τετοκυῖαν κτέ. nec mediocriter rem firmat Buecheler comparato Mostellariae Plautinae versu 852 in quo canis *tam placida est quam feta: quam vis eire intro audacter licet.* in memoriam autem redeunt quae supra similis monetae exempla ad Bionem revocata sunt p. LVI s. et quidem ad ipsum librum Περὶ ὀργῆς. illustrandae rei non minus conveniens est quod protulit Wachsmuth sill.[2] p. 76 adn. 2 ex Ps.-Plutarchi libro de lib. educ. c. 10.

Ut paucis summam faciam, quae in vita Laertiana tradita sunt propius a veritate absunt quantum pertinent ad illustrandam Bionis rationem philosophicam. ea autem ab Eratosthene fere pendere videntur in ipsa vita commemorato, et fortasse etiam haec verba (47) καὶ ἦν ἀληθῶς ὁ Βίων τὰ μὲν ἄλλα πολύτρο-

1) Iusto iudicaverat timidius de Philodemeo libro tamquam Bionis propagine Guilelmus Allers L. Annaei libr. de ira font. p. 15. Buecheleri observationem nolim dedita opera persequi, sed unum locum ut silentio praeteream, ab animo non impetro. col. XV 12 Gomp. describitur iratos quam facile paeniteat ferocitatis: εὐθέως κάθηνται τιλλόμενοι καὶ κλαίοντες ἐφ' οἷς ἐπαρῴνησαν, ἐνίοτε δ' αὑτοὺς ἐπικατασφάττοντες. Aiacis igitur infortunium respici videtur ut saepius a Cynicis. cf. Tel. I p. 4, 11. oratio vero non absimilis est eius quam Teles habet de apathia disputans p. 59, 7: καθῆσθαι κλαίοντα καὶ λυπούμενον καὶ ἑαυτὸν προσκαταφθείροντα. dein manu quasi prenditur Bio in proximis quibus 'nanciscimur' ut Sauppii verbis utar prooem. Gotting. aest. a. 1864 p. 5 'characterismum satis lepidum avari sibimet ipsi succensentis, prorsus similem illis, quibus Philodemus in libro decimo de vitiis ex Aristonis Cei libro desumtis usus est' col. XV 16 ss.: οὕτω δὲ κεινεῖ φρένα τὸ πάθος, ὥστε καὶ προίεσθαι ποιεῖ ταῦθ' ὧν μάλιστα δεινοὺς ἔχει τοὺς ἱμέρους ὁ θυμούμενος. Φοίνικα γοῦν τρωκτήν, ὃς ἕνα χαλκοῦν ἀποβαλὼν αὐτὸν πνείγει 'χάσκων βαδίζεις, οὐ προσέχεις σαυτῷ λέγων', ἀναγκάζει διαριθμοῦντα πολλάκις ἀργύριον (τἀργύριον Buecheler) ἐν πλοίῳ καὶ τέτραχμον ἓν ἐπιζητοῦντα τὸ πᾶν εἰς τὸ πέλαγος ἐκχεῖν. notus est Φοῖνιξ τρωκτής Homeri Od. XIV 288. comoediae deberi narratiunculam proditur senario, nec fugit id Sauppium. quamquam de Bione ille non cogitavit. cf. Plut. de tranqu. p. 469 D.

πος καὶ σοφιστὴς ποικίλος, certe πολύτροπος illud Ulixem legentibus in memoriam vocat (Od. I 1) cum quo Bionem ab Eratosthene comparatum esse testatur Strabo I 2, 2 p. 15. sed hunc locum illustrandi infra aptior dabitur occasio, cf. etiam E. Norden in Varronis sat. Men. obs. sel. p. 279 adn. 3. acerbius autem in vita Laertiana iustoque iniquius actum est cum persona Borysthenitae ac vita. neque id mirum. dicendi enim scribendique rationis Bioneae testimonia exstabant permulta tamque multis haud dubie cognita, ut ne malivolus quidem adversarius a veritate longe posset deflectere (πλεῖστά τε καταλέλοιπεν ὑπομνήματα IV 47). facilius erat mores Bionis coinquinare et vitam. cautissime autem adhibenda esse quae narrantur IV 53 sq. εἰώθει τε νεανίσκων τινῶν υἱοθεσίας ποιεῖσθαι εἰς τὸ ἀποχρῆσθαι αὐτοῖς κτέ. supra demonstravi. certe non tantum equidem fidei eis habuerim quantum habuit Zeller[4] II 1 p. 375 adn. 2. quamquam quod non paucos de se homines cum rubore fateri oportet vitam admodum dissentire orationi, id vix dubito quin a Bione haud alienum fuerit. meliora videre, sequi deteriora humanae imbecillitatis est. ut autem saepius a recto ille desciverit nec verba semper rebus probaverit, nihil est quod mirere talem sensum olim lectum esse in diatribis qualis nunc apophthegmatis involucro offertur gnomol. Vatic. n. 157 ed. Sternb.: 'οὐδὲ γὰρ αἱ πυξίδες' εἶπεν 'αἱ τὰ χρηστότατα φάρμακα ἔχουσαι ἀφ' ἑαυτῶν[1]) ὠφελοῦνται': Cynicum redolet pyxidum similitudo a tabernis medicorum sumpta (cf. Seneca fr. 18 Haase), ridensque suo ille more dixit quod alii confitentur non sine doloris aculeo vel pudoris. cui non in mentem venit Senecae? 'ad virtutem contendimus inter vitia districti.' nec Teles suam non persensit imbecillitatem. amat prima pluralis numeri persona uti qua modeste significet sese morbis quos respuat non esse liberum: ἀλλ' ἡμεῖς πάντα μᾶλλον αἰτιώμεθα ἢ τὴν ἑαυτῶν δυστροπίαν p. 8, 6 ἀλλ' ἡμεῖς πολλαχοῦ αὐτοὺς κατορύττομεν καὶ φυγάδες γενόμενοι καὶ ἐν τῇ

1) ἀπ' αὐτῶν interim prop. P. Wendland *Berl. philol. Wochenschr.* XI (1891) p. 458.

ἰδίᾳ μένοντες p. 23, 3 καὶ Ἡρακλέα μὲν ὡς ἄριστον ἄνδρα γεγονότα ἐπαινοῦμεν, τὸ δὲ μέτοικον εἶναι ὄνειδος ἡγούμεθα; p. 28, 5 ἀλλ' ἔμοιγε δοκεῖ ταῦτα παιδιά τις ἡμετέρα εἶναι p. 31, 8 πρὸς ῥῖγος ἡμεῖς μὲν ζητοῦμεν παχύτερον ἱμάτιον, ἐκεῖνος δὲ (sc. Μητροκλῆς) κτέ. p. 41, 5. quorum quod paenultimo loco posui ex Bione adsumptum esse infra elucebit. nam cur ego dissentiam a Croenerto qui hunc primae pluralis numeri personae usum epitomatori vindicare studebat monui supra[1]).

At non deerat Bioni quo vivendi rationem a veterum Cynicorum continentia ac sobrietate alienatam defenderet. ad Theodori Cyrenaici praecepta delapsus est teste Laertio IV 52. 54. Theodoreum appellatum esse ἀπὸ τῆς αἱρέσεως ἐπικαλούμενον idem testatur IV 23, unaque eum cum Theodoreis nominat Diocles vel potius Dicaeocles (cf. de Wilamowitz *Phil. Unters.* IV p. 313 adn. 23) Cnidius apud Numenium in Eusebii praep. evang. XIV 6, 5 p. 731 b. neque igitur mirum est quod pecunias et mercedem a discipulis accipere non dubitavit Theodori ipsiusque Aristippi (cf. Phanias Eresius ap. Laert. II 65 et Metroclis dictum ap. Laert. II 102; Zeller[4] II 1 p. 338 adn. 5 p. 341 adn. 1) exemplum secutus. res in aperto ponitur apophthegmate quod servavit Stobaeus II p. 218, 16 W. ubi Bionis nomen certo restituit Nauck: Βίων ἔλεγε κατὰ Ἡσίοδον τρία γένη εἶναι μαθητῶν, χρυσοῦν, ἀργυροῦν, χαλκοῦν· χρυσοῦν μὲν τὸ τῶν διδόντων καὶ [μὴ] μανθανόντων· ἀργυροῦν δὲ τὸ τῶν διδόντων καὶ ⟨μὴ⟩ μανθανόντων· χαλκοῦν δὲ τὸ τῶν μανθανόντων μέν, οὐ διδόντων δέ[2]), itaque quo spectent Laertii

1) Ibi (p. XXI s.) reliquos quoque huius generis locos enumeravi vel illustravi. vide nunc quae scripsit G. A. Gerhard *Phoinix* p. 66 qui etiam in pluralis numeri interpretatione mecum consentit. cf. Persius V 115.

2) Ex solo Laertii loco IV 49 certi nihil potest concludi: ἐν Ῥόδῳ τὰ ῥητορικὰ διασκούντων τῶν Ἀθηναίων τὰ φιλοσοφούμενα ἐδίδασκε· πρὸς οὖν τὸν αἰτιασάμενον ἔφη 'πυροὺς ἐκόμισα καὶ κριθὰς πιπράσκω;' huius modi in deliciis habet Bio similitudines, cf. gnomol. Vatic. n. 162 ed. Sternb.: ὁ αὐτὸς (sc. Bio) τὴν μὲν φρόνησιν ἔφη παντοπώλιον εἶναι τῶν ἀγαθῶν, τὴν δὲ σωφροσύνην στρατουργίαν (sic Sternbach: στρατουρίαν cod.). vid. Plat. Phaed. p. 69 A.

verba IV 53: ἦν δὲ πολυτελής· καὶ διὰ τοῦτο πόλιν ἐκ πόλεως ἤμειβεν vix est in ambiguo. erunt fortasse qui inde sophistae nomen quo saepius appellatur Bio (Plut. amat. p. 770 B adv. Coloten p. 1126 A Laert. IV 47 Stob. III 10, 37 H. schol. Hor. epist. II 2, 60) repetendum esse existiment duce Zellero l. c. p. 341 adn. 1. sed cautione opus esse inculcant nobis ea quae ad latiorem nominis usum illustrandum composuit Usener Epicur. p. 417 sq. iam si ipsam doctrinam respicis, Bionem haud pauca eorum quibus vulgares de dis opiniones suggillaverat ex Theodori τοῦ ἀθέου disciplina propagasse ait Laertius IV 54: πολλὰ δὲ καὶ ἀθεώτερον προεφέρετο τοῖς ὁμιλοῦσι, τοῦτο Θεόδωρειον ἀπολαύσας, ubi quod legitur τοῖς ὁμιλοῦσι ne latissime patere putes, obstat alius Laertii locus (II 117), quo similiter ac Stilponem recusasse eum discimus coram vulgo quaerere an sint di: τὸ δ' αὐτὸ καὶ Βίωνα ἐρωτηθέντα εἰ θεοί εἰσιν εἰπεῖν·

'οὐκ ἀπ' ἐμοῦ σκεδάσεις ὄχλον, ταλαπείριε πρέσβυ;'

cf. Meinekii anal. cr. ad Athen. p. 2. ut igitur vix dubium est quin Theodoro duce vel eo processerit, ut populares istos esse deos omnino negaret, ita cum eis quos ultra vulgus sapere non videret periculosam sapientiam communicare noluit (cf. Laert. VI 42). est eadem cautio quae commendatur in Sexti sent. 360 ed. Elt. ἐπὶ πλήθους λέγειν περὶ θεοῦ μὴ ἐπιτήδευε. verum enim vero arduum est hodie enucleare quid ex Theodori auctoritate scripserit Bio tralaticias de dis vulgaribus impugnans opiniones, eoque magis arduum quo erat maior in hoc loco Cynicorum et Theodori affinitas (cf. Zeller *Phil.*[4] II 1 p. 329 adn. 1 p. 376 adn. 3). accedit quod quo tempore singulae sententiae conscriptae sint hodie definiri nequit. denique haud adeo multa sunt quae nunc Bionis nomine circumferuntur ἀθεώτερα. ut non nulla percurram, eum locum quo sacrilegii crimen risu iocoque dialectico solvitur interpretatus est Seneca de benef. VII 7, 1 sq. Hos. sed nec nimis premendae sunt tales argutiolae, ut recte monet Zeller[4] II 1 p. 377 adn. 1, neque ad Theodorum (cf. Laert. II 99) referenda sententia,

quando quidem iam Diogeni adscribitur illa: μηδέν τε ἄτοπον εἶναι ἐξ ἱεροῦ τι λαβεῖν (Laert. VI 73). tum quod Plutarchus servavit de sera numinis vind. p. 561 C, id Cynicorum morem vix egreditur, nec magis alia quae supra significavi. multo iam dictum audacius quod traditur a Clemente Alexandrino protrept. IV 56 p. 49 P: ταῦθ' ὑμῶν οἱ θεοὶ τὰ εἴδωλα, αἱ σκιαὶ καὶ πρὸς τούτοις χωλαὶ ἐκεῖναι καὶ ῥυσαί, παραβλῶπες ὀφθαλμώ, αἱ λιταὶ αἱ Θερσίτου μᾶλλον ἢ Διὸς θυγατέρες. ὥστε μοι δοκεῖν χαριέντως φάναι τὸν Βίωνα, πῶς ἂν ἐνδίκως οἱ ἄνθρωποι παρὰ τοῦ Διὸς αἰτήσαιντο τὴν εὐτεκνίαν, ἣν οὐδ' αὐτῷ παρασχεῖν ἴσχυσεν; consulto adscripsi etiam priora Clementis verba. vides enim quantum leporis dicto addatur ac salis, si ipsum Homeri versu Bionem sententiam suam stabilivisse feceris Il. IX 502 sq.:

καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε ῥυσαί τε παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ.

et veri esse simillimam hanc opinationem interim nobis concessit R. Helm *Lucian und Menipp* (Lips. et Berol. ed. a. 1906) p. 92. sed haec quoque quivis scribere poterat Cynicorum. eadem vero difficultate qua de dis doctrina laborat ethica. sensit hoc Hirzel l. c. p. 60 adn. 2: 'Freilich lässt sich nicht immer streng scheiden, was kyrenaisch oder richtiger theodorisch und was kynisch ist.' Theodori sectam haud scio an redoleat quod tribuitur Bioni a Laertio IV 49: διέβαλε δὲ καὶ τὸν Σωκράτην λέγων ὡς εἰ μὲν εἶχεν Ἀλκιβιάδου χρείαν καὶ ἀπείχετο, μάταιος ἦν· εἰ δὲ μὴ εἶχεν, οὐδὲν ἐποίει παράδοξον. nam similem habet petulantiam illud Theodori (Laert. II 99): φανερῶς δὲ τοῖς ἐρωμένοις ἄνευ πάσης ὑφοράσεως χρήσεσθαι τὸν σοφόν. confidentius autem quam ego olim de hoc Bionis cum Theodoro consensu loquitur nunc G. A. Gerhard *Phoinix* p. 145, idque merito. rursus contraria sunt quae de morte voluntaria Bionem facit dicentem Teles II p. 10, 14 ss., Theodorum Favorinus in Stobaei flor. 119, 16 Mein. verum etiam ubi propiorem inter Cynicos et Theodorum cognationem agnoveris, erunt quae

probabilius repetas ex Cynicorum doctrina quam ex Cyrenaei. dixerat Bio, ut supra memoravi (p. LXXIV adn. 2), τὴν μὲν φρόνησιν παντοπώλιον εἶναι τῶν ἀγαθῶν, τὴν δὲ σωφροσύνην στρατουργίαν. festivam brevitatem qua seplasium φρόνησις appellatur bonorum sive scrutarium his verbis quasi explanat Laertius IV 51: τοσοῦτον διάφέρειν τὴν φρόνησιν τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ὅσον τὴν ὅρασιν τῶν ἄλλων αἰσθήσεων. quid multa? cum Antisthene Bio sentit, qui inexpugnabilem murum φρόνησιν vocavit teste Laertio VI 13. distant autem in aliqua similitudine contigua quae Laertius rettulit tamquam Theodorea II 98. sed apertiora sunt Theodori vestigia alibi. quascumque a Fortuna partes acceperimus, eas scite agere et concinne iubemur a Bione, cuius sententiam bis exscripsit Teles p. 5, 2. 52, 3. quae qui legerit, non poterit non Aristippi recordari quidquid inciderat scite ferentis fortunaeque qualicumque commode se applicantis. cf. Fr. Iacobs *Verm. Schrift.* V p. 90 adn. notissimum est Laertii de Aristippo testimonium idque ex vetere haud dubie fonte derivatum II 66: ἦν δὲ ἱκανὸς ἁρμόσασθαι καὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ καὶ προσώπῳ, καὶ πᾶσαν περίστασιν ἁρμοδίως ὑποκρίνασθαι (cf. Hor. epist. I 17, 29), quamquam imagine, quae verbo ὑποκρίνασθαι inest, ipsum iam Aristippum usum esse nolim contendere. neque nescio Bioneam sententiam non eam esse quae adversa fronte pugnet cum cynismo. etiam Diogenem dixisse aiunt ex philosophia si nihil aliud, tamen hoc sese lucratum esse πρὸς πᾶσαν τύχην παρεσκευάσθαι (Laert. VI 63) [1]. nec dissimilia sunt quae eidem tribuuntur a Laertio VI 29: ἐπήνει τοὺς μέλλοντας γαμεῖν καὶ μὴ γαμεῖν, καὶ τοὺς μέλλοντας καταπλεῖν καὶ μὴ καταπλεῖν κτέ. quaedam ferri inter Antisthenem et Aristippum ambigua apophthegmata, neutro indigna

1) Alii hunc Diogenis cum Aristippo consensum fortasse ita explicabunt, ut eius modi dicta Diogeni adtribuisse coniciant auctorem, cuius intererat sapientiam ad quam ipse delapsus erat molliorem Diogenis auctoritate et testimonio confirmare. et adulteratam esse ista ratione pristinam et genuinam Diogenis imaginem a posterioris aevi 'Cynicis' cum ego identidem monui tum alii in dies magis perspexerunt. cf. p. LIII adn. 1 et p. 49, adn. 4, G. A. Gerhard *Phoinix* p. 43. 175 s.

recte monet de Wilamowitz *Philol. Unters.* III p. 158. caute igitur pedem proferas oportet in hoc Cynicorum sectaeque Cyrenaicae confinio. est tamen aliquid discriminis. aut enim ego multum fallor aut Bio de priorum rigore non nihil remisit. Diogenes Cratesve quo tendant cum paratos se esse dicunt ad omnem fortunam subeundam nemo ne tantillum quidem temporis incertus erit, qui paupertatem eorum voluntariam ac veram victumque adstrictum respexerit. τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα. idem num eodem iure de Bione praedicare liceat dubito. multa ille quidem dicit de pecuniae contemptu, sed mercede exacta a discipulis. sequitur ille Cynicorum praeceptum, tamen in interpretando non nihil deflectit ad Aristippi laxiorem philosophandi rationem utpote Theodoreus. nec aliter intellexisse Bionem Teles videtur, quippe qui nautarum exemplum nos sequi iubeat cuivis tempestati se aptantium (II p. 10, 1 ss.) vitaeque cursum ad hanc formulam revocet p. 11, 4 s.: εὐπορία, διάστειλον· ἀπορία, σύστειλον. idem vero significant illa quibus altero loco tamquam commentatus edisseruit praeceptum Bioneum p. 53, 13 s.: οὐ δεῖ δὲ τρυφᾶν οὐδὲν τῶν πραγμάτων μὴ φερόντων κτέ. sed haec supra illustravimus p. LXIV s. neque igitur de pedisequo solum Bionis sed de ipso Bione hoc fere valere arbitror: faventi fortunae vela expandere non dubitabant Cynici huius generis quos paene Cyrenaicos dixeris; cum premebantur rerum iniquitate, virtute se involvebant fortiterque ferebant paupertatem [1]). laxiorem autem quam dixi philoso-

1) Hanc nostram Duemmlerique (*Akad.* p. 172 extr.) de Bionis cynismo sententiam interim aliorum assensu adprobatam video velut R. Heinzii mus. Rhen. XLV p. 514 Susemihlii *Gesch. der gr. Litt.* I p. 35 Th. Gomperzii *Gr. Denker* II p. 198. cf. etiam Ueberweg-Heinze *Grundr. der Gesch. der Phil.* I⁹ (Berol. a. 1903) p. 144. secus sensit C. Praechter *Jahresber. f. Altertumsw.* LXXXXVI (a. 1898) p. 18. contra de Arnim in Wissowae encyclop. III (a. 1899) quamquam Bionem ut populariter philosophantem certae philosophorum sectae adgregari posse negat (p. 483), tamen p. 484 illum omnia fere Cynicis Theodoroque Cyrenaico debuisse existimat nobiscum non dissentiens. Cyrenaicis, si recte intellego, non Cynicis adnumerare videtur Bionem nuper de Wilamowitz *Kultur der Gegenw.* I 8 p. 98.

phiam ex Theodori praeceptis Bionem imbibisse haud dissuadent temporum rationes. audiit Theodorum Bio, si verum vidit Zeller, ante annum 306 perduxitque aetatem usque ad Antigoni Gonatae tempora, qui regnavit inde ab anno 276/75 usque ad 240/39 (vid. Unger relat. acad. Monac. a. 1887 p. 101 ss.). septem igitur ut minimum habes lustra, quibus scripsisse putandus sit Bio, postquam Theodori sapientia imbutus erat. num temerarium videbitur ad haec tempora referre diatribam cum Aristippeo ut quaevis vitae partes decore agantur praecepto egregie consentientem? Aristippi autem qui sciret *regibus uti* (cf. Hor. epist. I 17, 14), huius magis quam Cynici germani mori convenire apparet etiam haec: σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί, καὶ σὺ μὲν πολλῶν ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουὶ παιδαγωγὸς γενόμενος, καὶ σὺ μὲν εὔπορος γενόμενος δίδως ἐλευθερίως, ἐγὼ δὲ λαμβάνω εὐθαρσῶς παρὰ σοῦ, οὐχ ὑποπίπτων οὐδὲ ἀγεννίζων οὐδὲ μεμψιμοιρῶν. immo extrema qui scripsit, a Diogenis moribus Cynicorumque antiquorum prorsus recessit. ceterum si cui videbitur scribens ea in mente habuisse ipsum Antigonum Gonatam, cuius liberalitate et beneficiis uti haud dedignatus est, ego non repugnabo [1]). intelleges hinc, cur inter Cyrenaicos Bionem referre perrexerit Zeller[4] II 1 p. 342 temporum rationi, non Wachsmuthii sententiae obsecutus. Theodorum autem fuisse qui ad Aristippi sapientiam et diatribas (cf. Athen. XI p. 508 c) Bioni aditum recluserit iure conicias. Aristippi apophthegma ex Bione refert Laertius II 77: τοῦ δὲ θεράποντος ἐν ὁδῷ βαστάζοντος ἀργύριον καὶ βαρυνομένου, ὥς φασιν οἱ περὶ τὸν Βίωνα ἐν ταῖς Διατριβαῖς, 'ἀπόχεε' ἔφη (sc. Ἀρίστιππος) 'τὸ πλέον καὶ ὅσον δύνασαι βάσταζε' [2]). hic ille est

1) Et reapse idem coniecit R. Heinze de Hor. Bionis imit. p. 6 adn. 1, quae dissertatio eisdem fere diebus prodiit quibus Teletis proecdosis.

2) Recte igitur coniciunt Bionis diatribas ante oculos habuisse Horatium sat. II 3, 99 ss.:

quid simile isti
Graecus Aristippus, qui servos proicere aurum 100
in media iussit Libya, quia tardius irent
propter onus segnes.

locus, quo sermonibus Bioneis Διατριβῶν nomen fuisse edocemur, ut acute animadvertit Usener Epicur. p. LXIX: cf. Lehrs quaest. ep. p. 28 adn. ex eodem autem fonte Aristippeo hausit Bio quae dixerat teste Ps.-Plutarcho de liber. educ. p. 7 D: ἀστείως δὲ καὶ Βίων ἔλεγεν ὁ φιλόσοφος ὅτι ὥσπερ οἱ μνηστῆρες τῇ Πηνελόπῃ πλησιάζειν μὴ δυνάμενοι ταῖς ταύτης ἐμίγνυντο θεραπαίναις, οὕτω καὶ οἱ φιλοσοφίας μὴ δυνάμενοι κατατυχεῖν ἐν τοῖς ἄλλοις παιδεύμασι τοῖς οὐδενὸς ἀξίοις ἑαυτοὺς κατασκελετεύουσι, nam ea ipsa similitudine Aristippum [1]) usum esse ex Laertio discimus II 79 recteque originem illustravit Kiessling prooem. univ. Gryphisv. hib. a. 1887 p. V. vides igitur ab hac quidem parte nihil obstare, quominus verba Teletis III p. 29, 13: ἢ οὐ πανταχόθεν, φησὶν ὁ Ἀρίστιππος, ἴση καὶ ὁμοία ἡ εἰς ᾅδου ὁδός; ad eundem fontem id est Bionem revocentur. adice quod uno tantum hoc loco Aristippi mentio fit apud Teletem atque eo ipso quod Aristippo, non Anaxagorae tribuitur dictum. Bio Theodoreus in memoriam vocatur haud intempestive.

---

nec dubitaverim quin etiam proximi versus ex Bione colorem traxerint:

siquis emat citharas, emptas conportet in unum,
nec studio citharae nec musae deditus ulli, 105
si scalpra et formas non sutor, nautica vela
aversus mercaturis, delirus et amens
undique dicatur merito.

nam primum membrum eximie congruit cum Arriano Epicteteo diss. IV 8, 16: οὐδεὶς δ' ἐρεῖ 'ἐγὼ μουσικός εἰμι' ἂν πλῆκτρον καὶ κιθάραν ἀγοράσῃ, οὐδ' 'ἐγὼ χαλκεύς εἰμι' ἂν πιλίον καὶ περίζωμα περιθῆται, tertium autem (nautica vela cum mercaturis) in memoriam revocat crebras Teletis similitudines a navigatione desumptas. cf. etiam Dio Prusaeus or. X p. 112, 17 ss. Arn. neque sutoris exemplum ab hoc genere philosophandi alienum: vid. Epict. diss. III 23, 8: νῦν δύναταί τις ὠφελῆσαι καὶ ἄλλους, μὴ αὐτὸς ὠφελημένος; οὔ' οὐδὲ γὰρ εἰς τεκτονικὴν ὁ μὴ τέκτων οὐδ' εἰς σκυτικὴν ὁ μὴ σκυτεύς *(non sutor)*. sed peculiarem sibi poscit disputationem Horatius — sic scripseram in proeedosi vixque scripseram, cum emissa est Ricardi Heinzii quam saepius commemoravi dissertatio Bonnae a. 1889.

1) Non Gorgiae esse illud dictum (Gorgiae enim adscribitur gnomol. Vat. 166 Sternb.) asserit Alfr. Gercke in Platonis Gorgiae editione Sauppiana a se curata Berol. a. 1897 p. VI 5.

nec repudiavit hanc suspicionem interim Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 38 adn. 108 a. utut autem iudicabis, ex ipso Aristippo haec hausisse Teletem veri simile non est. haec fere habui, quibus quae ratio Bionem inter et Theodorum intercederet velut primis lineis designarem. paucula addidi apud Muellerum de Tel. eloc. p. 40. nec tamen hoc me movet quod Laertii priore loco (52) διακούσας Θεοδώρου τοῦ ἀθέου κατὰ πᾶν εἶδος λόγου σοφιστεύοντος eadem fere verba leguntur adhibita, quae mox recurrunt in Eratosthenis de Bione iudicio (διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶσθαί φασι λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένην κτέ.). indicatum sane voluisse videtur Laertii auctor quod Bionis proprium esse observarant τὸ παντὶ εἴδει λόγου κεκρᾶσθαι, id quodam modo ex Theodorea disciplina repetendum esse. sed num recte id voluerit subdubito non solum Theophrasti Eratosthenisque iudicium intuens (ὡς πρῶτος Βίων κτέ.) [1]) sed etiam Bionis indolem Cynicam.

Germanum Cynicum fuisse Bionem Cynicamque esse rationem eius et orationem contendit Wachsmuth de Timone Phliasio p. 34 s. sillographorumque editione altera p. 67 et 73. quod etsi recte observatum esse tam mihi quam aliis qui Bionem attigerunt persuasum est, modo ne nihil tribuatur praecursori Theodoro, tamen id magis spectasse vir doctus censendus est, ut quae ad confirmandam hanc sententiam valent colligeret ac perite illustraret quam ut scrupulos qui moveri possunt removeret. refragantur autem, si frustula a Laertio servata perlustras, Cynicorum sapientiae non nulla ita, ut aut

1) In Ps.-Metrodori verbis περὶ αἰσθήσεων col. XV (Scott. fragm. Herc. p. 250) Βίωνος τοῦ κατὰ Θ[ε]όφραστον π[ρώ]του φιλοσοφίαν ἀνθινοῖς κοσμήσαντος redintegrandum esse πρώτου videre cum alii tum Wachsmuth Tim. Phlias. p. 40 diu ante Dueningium Metrod. p. 33. in eiusdem commentarii col. XIX (Scott. p. 251) aliud Bioneae famae vestigium agnovit Augustus Brinkmann quaest. de dialogis Platoni falso addictis speciminis Bonnae editi a. 1888 p. 15 pro [τ]οῦτον ἐχόντων [τ]ὸν τρόπον ἐπὶ τοῦ λόγου τοῦ βίων ἢ οὐ (?) τοῦτο μὲν θήσω, διότι γένος ἕκαστον κτέ. corrigens feliciter ἐπὶ τοῦ λόγου τοῦ Βιωνήου id est Βιωνείου. cf. nunc Croenert *Kol. und Mened.* p. 31 s.

sibi non constantem ne dicam nugatorem fuisse Bionem concedendum sit Wachsmuthiique sententiam iacere, aut de gnomologi Laertiani iudicio ac fide aliquot oriantur dubitationes. sed ratio praesto erat idonea qua expediretur difficultas probabiliter. sciendum est enim Bionis sermonum eam fuisse rationem, ut philosophus colloqueretur cum ficto adversario eiusque opiniones modo pluribus modo paucioribus verbis propositas ipse pro copia refelleret. compositionis huius quam imitando expressit Teles etiam nunc aliquot supersunt vestigia satis aperta. velut in Plutarchi loco de aud. poet. p. 22 A non Theognidem refutat Bio, sed adversarium Theognideis versibus usum: πῶς οὖν σὺ πένης ὢν φλυαρεῖς τοσαῦτα καὶ καταδολεσχεῖς ἡμῶν; in eis quae Teles servavit εἰ ταῦτα λέγοι ἡ Πενία, τί ἂν ἔχοις ἀντειπεῖν; ἐγὼ μὲν γὰρ ⟨ἂν⟩ δοκῶ ἄφωνος γενέσθαι habes verba Bionis (Tel. p. 8, 5 s.) manifesto compellantis oblocutorem. neque aliter secundae personae usus explicandus est in his (Tel. p. 9, 2 ss.): ὁ δὲ Βίων, ὥσπερ τῶν θηρίων, φησί, παρὰ τὴν λῆψιν ἡ δῆξις γίνεται, κἂν μέσου τοῦ ὄφεως ἐπιλαμβάνῃ, δηχθήσῃ, ἐὰν τοῦ τραχήλου, οὐδὲν πείσῃ· οὕτω καὶ τῶν πραγμάτων, φησί, παρὰ τὴν ὑπόληψιν ἡ ὀδύνη γίνεται, καὶ ἐὰν μὲν οὕτως ὑπολάβῃς περὶ αὐτῶν, ὡς ὁ Σωκράτης, οὐκ ὀδυνήσῃ, ἐὰν δὲ ὡς ἑτέρως, ἀνιάσῃ, οὐχ ὑπὸ τῶν πραγμάτων ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἰδίων τρόπων καὶ τῆς ψευδοῦς δόξης. perspecta igitur dialogi forma, quae vel sola Teletis imitatione comprobatur, simul manifestum fore spero, qua causa Bioni a gnomologo Laertiano etiam sententiae tribuantur adversus Cynicorum sapientiam directa fronte pugnantes. velut τὸν πλοῦτον Bio dixisse traditur (Laert. IV 48) νεῦρα πραγμάτων. nemo semel monitus non intelleget sententiam hanc Cynicum protulisse non tamquam suam sed ut opinionem vulgarem [1]). neque igitur

1) Haec spes me fefellit. itaque aliquot annis post paulo explicatius rem exposui mus. Rhen. XLVII (1892) p. 236 adn. 1 Alfredi Koertii dubitationi occurrens sic: 'So wenig sich Bion nach Heinzes richtiger Bemerkung Rh. Mus. XLV S. 515 A. 1 ausdrücklich zum Prinzip der ἡδονή bekennt, ebensowenig konnte er den πλοῦτος als νεῦρα πραγμάτων empfehlen. Meine Auffassung gewinnt an Wahrscheinlichkeit durch den Umstand, auf den mich Dümmler

primus aut solus proverbiali illa locutione usus est, vid. Aeschin. 3, 52 Plut. Cleom. c. 27 aliosque a Meinekio collectos Philol. III p. 320, quibus Nauckii diligentia addidit Nicet. Chon. p. 82, 22 Theodor. Metoch. p. 515 Eust. Il. p. 309 extr. de divitiis quid senserit Bio norunt qui Teletem vel leviter attigerunt aut unius dicti meminerunt, quod servavit Stobaeus (flor. 93, 34 Mein.): καταγελάστους εἶναι τοὺς σπουδάζοντας περὶ πλοῦτον κτέ. at obiecerat interlocutor: licet pravi sint divites, honoribus tamen afficiuntur. huc ea pertinent quae Stobaeus capiti quod Ἔπαινος πλούτου inscribitur inseruit 91, 32 Mein.: Βίων ἔλεγεν, ὥσπερ τὰ φαῦλα τῶν βαλαντίων, κἂν μηδενὸς ᾖ ἄξια, τοσούτου ἐστὶν ἄξια ὅσον ἐν ἑαυτοῖς τὸ νόμισμα ἔχουσιν, οὕτω καὶ τῶν πλουσίων τοὺς οὐδενὸς ἀξίους καρποῦσθαι τὰς ἀξίας ὧν κέκτηνται. quae quo modo intellegenda sint, commentarii instar docet Seneca ep. 87, 18: *fiscus tanti est, quantum habet: immo in accessionem eius venit, quod habet. quis pleno sacculo ullum pretium ponit nisi quod pecuniae in eo conditae numerus effecit? idem evenit magnorum dominis patrimoniorum: accessiones illorum et appendices sunt* vel de rem. fort. X p. 105, 3 Rossb. '*magnam pecuniam habet.' hominem illum iudicas? arca est. quis aerario, quis plenis invidet loculis? et iste, quem tu dominum existimas pecuniae, loculus est.* cognata vero id est Cynicae originis sunt Musonii verba apud Clementem Alexandrinum paed. III 6 p. 257, 10 Stähl.: πλούσιος μὲν ὁ πολυκτήμων ἔστω, χρυσίῳ σεσαγμένος καθάπερ φασκώλιον ἐρρυπωμένον et Plutarchi de cupidit. divitiarum p. 526 C, ubi puerorum educandorum rationem Megaricam impugnat divitibus istam et avaris probatam: ταῦτα γάρ ἐστιν ἃ παραινοῦσι καὶ διδάσκουσι· κέρδαινε καὶ φείδου καὶ

zuerst aufmerksam machte, dass der Satz ἐν δὲ πολέμοις νεῦρα τῶν πράξεων γίνομαι in der σύγκρισις des Krantor dem Πλοῦτος selbst in den Mund gelegt wird Sext. Emp. XI 53. . . Bion selbst empfiehlt den Besitzenden den Gebrauch ihres Reichtums, aber von da zur Anpreisung des Reichtums als νεῦρα πραγμάτων ist noch ein erheblicher Schritt. Auch die Weitherzigkeit bei Bion hat ihre Grenzen.' cf. H. Weber de Senecae phil. dicendi genere Bioneo (Marp. Catt. a. 1895) p. 19 'ficti adversarii haec sunt verba, non ipsius Bionis'.

τοσούτου νόμιζε σεαυτὸν ἄξιον ὅσον ἂν ἔχῃς. τοῦτο δὲ οὐκ ἔστι παιδεύειν. ἀλλὰ συστέλλειν καὶ ἀπορράπτειν ὥσπερ βαλάντιον, ἵνα στέγειν καὶ φυλάττειν τὸ εἰσβληθὲν δύνηται. καίτοι τὸ μὲν βαλάντιον ἐμβληθέντος τοῦ ἀργυρίου γίνεται ῥυπαρὸν καὶ δυσῶδες· οἱ δὲ τῶν φιλαργύρων παῖδες πρὶν ἢ παραλαμβάνειν τὸν πλοῦτον, ἀναπίμπλανται τῆς φιλοπλουτίας ἀπ᾽ αὐτῶν τῶν πατέρων. cf. Lucian. dial. mort. XI 4.

Ut ad Laertium revertar, Bioni adsignatur dictum etiam hoc IV 48: τὴν δόξαν ἐτῶν μητέρα εἶναι, quo *gloria* appellatur *genetrix annorum*, si tamen gloria est nominisque claritudo, qua quis vitabit Libitinam. sed iuncturae ἐτῶν μητέρα aliquid obscuri inesse vel insoliti negari vix potest. quod sensisse videtur nuperrime etiam G. A. Gerhard, etsi ipsam sententiam Bione haud indignam putabat *Phoinix* p. 91. alii igitur vitium verba contraxisse censent. ac τὴν δόξαν ⟨ἀρ⟩ετῶν μητέρα εἶναι postquam commendavit Hirzel *Der Dial.* I p. 377 adn. 2 coll. Philostr. Heroic. p. 136, 18 Kays. ἀλήθειαν ἣν ἐκεῖνος μητέρα ἀρετῆς ὀνομάζειν εἴωθεν, eandem coniecturam denuo protulit H. Richards *Classical Rev.* XVI (1902) p. 395a. putat autem Hirzel Bionem quem ut Cynicum sane credideris fuisse πρὸς δόξαν καὶ ἀδοξίαν ἴσως ἔχοντα (Tel. p. 11, 9; Diog. Laert. VI 105 πλούτου καὶ δόξης καὶ εὐγενείας καταφρονοῦσιν sc. οἱ κυνικοί), nihilo tamen setius aliquando dixisse Existimationem esse matrem virtutum. quam si stabilire coneris sententiam, noli urguere quod adservatum est a Stobaeo IV 5, 23 H. (cf. Ps.-Is. ad Demon. 37) Βίωνος. Βίων ἔφη δεῖν τὸν ἀγαθὸν ἄρχοντα παυόμενον τῆς ἀρχῆς μὴ πλουσιώτερον, ἀλλ᾽ ἐνδοξότερον γεγονέναι. id enim si dixerit Bio, dixit ut avaritiam impugnaret principumque personas respiciens et ἐνδόξων (cf. Tel. VI p. 52, 3). at lemmatis fidem apud Stobaeum videri sublestiorem nuper recte monuit P. Wendland *Anaximenes* (Berol. a. 1905) p. 100. aptius igitur multo erit Antisthenis comparare dictum, quo adulescentem luxuriosum commiseratur acroamatibus deditum, quod ille numquam audierit summum acroama, id est laudem suam (schol. Porphyr. Hor. s. II 2, 94). nec huius igitur loci im-

memor fuit C. Ioël *Der echte und der Xen. Sokr.* II 1 p. 55 ss. nec aliorum, quibus Cynicum, licet is praedicare soleat ἀδοξίαν, solidae tamen gloriae amantiore mfuisse demonstraret. in Phaedri versibus IV 12 *Opes invisae merito sunt forti viro quia dives arca veram laudem intercipit* Cynicam sapientiam agnovisse sibi visus est G. Thiele Hermae vol. XLI (a. 1906) p. 567. sive igitur τὴν δόξαν ἀρετῶν μητέρα εἶναι dixit Bio sive, quod proposuit Croenert l. c. p. 32 adn. 168, τὴν δόξαν θεῶν μητέρα εἶναι, ut inter ἀθεώτερα hoc et ipsum referendum sit, inesse vitium verbis traditis hodie pauci negabunt.

Etiam de nobilitate exstat apud Laertium sententia, quae Bioni adscribi non poterit nisi adiecta cautione IV 51: τὴν δυσγένειαν πονηρὸν ἔλεγεν εἶναι σύνοικον τῇ παρρησίᾳ·

δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ.

pro δυσσέβειαν, quod in libris est neque ullo pacto ferri posse apparet, scripsi δυσγένειαν cum Menagio. et verum vidisse hunc praeter Euripidem (Hipp. 426 s. δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ, ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά) liquido confirmant Ps.-Plutarchus de liber. educ. p. 1 B et Plutarchus de aud. poet. p. 28 C—D. quod vix commemorarem, nisi viderem εὐσέβειαν, quod infeliciter olim in mentem venerat Welckero praef. Theogn. p. XCII, comprobari a Wachsmuthio non modo in scriptione gratulatoria praeceptori oblata (p. 36) sed etiam in altera sillographorum editione p. 70 adn. 3. nimirum talem nobilitatis aestimationem qualis inesset in verbis illis a Bionis ingenio abhorrere monuerat Welcker l. c. quis negat? risisset hercle Cynicus, si hanc sibi opinionem imputari audivisset. ipse utrimque ignobilis eoque loco natus quo obscurior cogitari vix poterat quam mordaci semper delectatus sit dicacitate norunt omnes. quo modo igitur ignobilitas mala contubernalis vocatur libertatis loquendi? res facilis intellectu: legebantur haec in Bionis quadam diatriba, sed ideo prolata ut refutarentur. et persuasi hoc Guilelmo Capelle qui tetigit rem De Cynicorum epistulis diss. Gotting. a. 1896 p. 43. nec adeo

obscurum est, quid interlocutori responderit Borysthenita. consulendus erat Plutarchus, qui eundem Hippolyti Euripideae locum respiciens haec habet de aud. poet. p. 28 D: διὰ τί δέ, ἂν ἐκ πατρὸς φαύλου καὶ ἀνοήτου γεγονὼς αὐτὸς ὦ χρηστὸς καὶ φρόνιμος, οὐ προσήκει μοι διὰ τὴν ἐμὴν ἀρετὴν μέγα φρονεῖν ἀλλὰ καταπεπλῆχθαι καὶ ταπεινὸν εἶναι διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀμαθίαν; horum similia etiam apud Bionem fuisse tuo iure conieceris. et suffragatum esse interim huic coniecturae video Augustum Schlemm De fontibus Plutarchi comment. de poetis aud. et de fortuna (Gottingae ed. a. 1893) p. 65 [1]). in eodem autem Plutarchi libro, ubi si quae minus recte dicta videantur a poetis aliorum nobilium auctorum (ἑτέρων ἐνδόξων) contra ponendas esse sententias Plutarchus docet quibus illa eleventur tamquam in trutina, non modo Socrates affertur contra carmen Alexidis, Diogenes contra Epicharmeum ut videtur (vid. Schneidewin Philol. III p. 21) Sophocleumque, Cinesias contra Timotheum, sed commendatur etiam Bio ad Theognidea infringenda p. 22 A: χάριεν δὲ καὶ τὸ τοῦ Βίωνος πρὸς τὸν Θέογνιν λέγοντα

'πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος οὔτε τι εἰπεῖν
οὔθ' ἕρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.'

'πῶς οὖν σὺ πένης ὢν φλυαρεῖς τοσαῦτα καὶ καταδολεσχεῖς ἡμῶν;' vides similis cum haec obvenisset occasio quam festive eluserit

1) Defendi voluit nuper δυσσέβειαν G. A. Gerhard *Phoinix* p. 43 sed, ut mihi quidem videtur, parum probabiliter. recte enim et vere olim Welcker Theogn. proleg. p. XCII 'qui impius ipse est, timiditate et verecundia non solet laborare nec impietatis conscientia perturbatur'. nec felicius Gerhard de altero dicto quod supra illustravimus scripsit haec l. c. 'Einen Kyniker, der mit seinem Anspruch auf volle παρρησία zu kurz zu kommen meint, soll wohl auch das bei Plut. de aud. poet. p. 22 A überlieferte Bonmot von Bion widerlegen: Χάριεν δὲ καὶ τὸ τοῦ Βίωνος πρὸς τὸν Θέογνιν λέγοντα κτέ.' Cynicumne igitur refutari putabimus a Cynico? quam non simpliciter hoc excogitatum est quamque longe arcessitum! qui paupertate παρρησίαν sibi deminui credant doleantve multos reperies inter homines praesertim a philosophia remotiores, inter Cynicos ne unum quidem. sive enim rigidiori sectae addicti erant sive laxiori, paupertas Cynicis erat germana quasi soror libertatis. cf. Plut. an vitios. p. 499 C Tel. p. 44, 8.

adversarium homo vaferrimus. sed haud dubie etiam alia et validiora Bio argumenta aggessit. quorum quasi gustum dant sapienti ea quae ad Antigonum Gonatam scripsisse traditur a Laertio IV 46. saepius lacessitus ab obtrectatoribus propter ignobilitatem epistulam vel quaestionem epistolicam misisse videtur ad Antigonum, cuius aures a Persaeo et Philonide obsideri aegre ferebat. scio equidem huic epistulae, quam et Hirzel[1]) olim *Unters.* II 1 p. 60 et ego sine ullo scrupulo adhibueramus fidem prorsus denegatam esse nuper a Croenerto *Kol. und Mened.* p. 29, sed modestius et puto rectius iudicavit Kiessling dubitatione non omni exclusa sic scribens prooem. univ. Gryphisv. aestiv. a. 1883 p. 7: *haec si vera non sunt, at ad veritatem ficta esse concedi debet.* cf. Nicias Nicaeensis ap. Athen. XIII p. 591 F. ex eadem autem ad Gonatam epistula fluxit locus Stobaei flor. 86, 13 M. quem adscribo: Βίωνος. Ἀντίγονος ὁ βασιλεὺς Βίωνα τὸν φιλόσοφον διαβληθέντα ὡς δυσγενῆ ἤρετο

τίς; πόθεν εἶς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;

κἀκεῖνος εἶπεν ‘ἀλλ’ ὀρθῶς ⟨οἶμαί σ’⟩, ὦ βασιλεῦ, ὅταν τοξοτῶν χρείαν ἔχῃς, οὐκ ἐρωτῶντα τὸ γένος, ἀλλὰ τιθέντα τὸν σκόπον τοὺς ἀρίστους τοξευτὰς παραλαμβάνειν. οὕτως οὖν καὶ ἐπὶ τῶν

1) Interim Hirzel *Der Dialog* I p. 368 adn. 1 eo inclinat ut quae apud Diogenem et Stobaeum de Bionis cum Antigono rege commercio narrantur ea referri potius malit ad apophthegmata illa χρειώδη πραγματείαν περιέχοντα a Laertio commemorata IV 47. ex hac ipsa autem syllloga etiam ‘longe plurimas’ Bionis sententiarum quas hodie novimus, fluxisse ille coniectat. at mihi cur suspectum sit quod in Laertiana compilatione legitur ἀλλὰ καὶ ἀποφθέγματα (sc. καταλέλοιπεν ὁ Βίων) χρειώδη πραγματείαν ἔχοντα, exposui supra nec video nunc cur ab hac sententia recedam, cf. Susemihl *Gesch. der gr. Litt.* I p. 36 adn. 105. fac autem fuisse eiusmodi apophthegmatum chriarumve collectionem, unde eam compilatam fuisse putabimus nisi ex ‘Bioneis sermonibus’? neque enim ita rem explicari posse ut Bionem statuas chrias collegisse ipsum recte monuit Duemmler Antisth. p. 70 (*Kl. Schrift.* I 73). et quod momenti non minoris est, cum ea quae de ‘diatribis’ vel de ‘sermonibus’ (velut Περὶ τῆς ὀργῆς vel Περὶ δουλείας) contestata habemus addubitare non liceat (cf. Croenert l. c. p. 178), cur ubi a Bione aliquid scriptum sit quaerentes ad librum nos convertamus dubitatione, ne plus dicam, non prorsus exemptum?

φίλων ἐξέταζε οὐ πόθεν εἰσίν, ἀλλὰ τίνες.' scripsi ἀλλ' ὀρθῶς ⟨οἶμαί σ'⟩, ut hiatum orationis explerem: ἀλλ' ὀρθῶς habent SMA nec discrepat Tr. p. 472 (quod monendum video propter Gaisfordi indiligentiam), ἀλλ' ὀρθῶς ἔχει tacite scripsit Gesner[1] f. 437ᵛ, inde vulgata. dubito an etiam tertium ex eodem fonte rivulum repetere liceat. audias quaeso acute dictum, quod Antigono tribuitur a Plutarcho de vitioso pudore p. 534 C paucisque mutatis a Ps.-Plutarcho apophth. reg. et duc. p. 183 D (Stob. flor. 87, 12 M.): καὶ Ἀντίγονος πρός τινα νεανίσκον γεγονότα μὲν ἐκ λοχαγοῦ χαρίεντος, αὐτὸν δὲ ἄτολμον ὄντα καὶ μαλακόν, ἀξιοῦντα δὲ προαχθῆναι 'παρ' ἐμοί' φησίν 'ὦ μειράκιον, ἀνδραγαθίας εἰσίν, οὐ πατραγαθίας τιμαί.' senties quaenam de origine ioci se offerat suspicio. Bio opinor Antigonum tale quid data occasione adulescentulo responsurum esse scripserat novo usus vocabulo scitaque paronomasia (ἀνδραγαθίας — πατραγαθίας: vid. Wyttenbach animadv. in Ps.-Plut. p. 183), in apophthegmatis autem formam verba redegit posteriorum propensior in hoc genus sedulitas. nominatim Bio adfertur in eiusdem libri p. 536 A. ceterum dolendum est quod cognatae Περὶ δουλείας diatribae nihil nisi unum hodie superest paradoxon etiam nomine Bionis insignitum. subiungo verba ne quem moveat Meinekii auctoritas, ex Stob. III 2, 38 H. et flor. 62, 42 Mein.: οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι, οἱ δὲ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι [πολλῶν ἐπιθυμιῶν]. neque enim reperiuntur haec in Dionis, ut Meinekio visum est, orationibus et Βίωνος, si mihi credis, non Δίωνος legebatur in Stobaei librorum archetypo. interim aliquatenus redintegrare studui hanc diatribam mus. Rhen. XLVII (1892) p. 223 Philonis potissimum usus commentario Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον eiusque similibus. velut de puero Laconico historiolam (Phil. l. c. p. 463 Mang. Seneca epist. 77, 14 Ps.-Plut. apophth. Lac. p. 234 B) ad sermonem Περὶ δουλείας revocandam esse non defuere qui mihi concederent, commemoravimus eam ubi de apophthegmatis diximus p. LVIII adn. 1. in eodem autem sermone inter verae libertatis assertores etiam Herculem Cynicorum patronum et Diogenem Cyni-

cum commemoratos esse (cf. mus. Rh. l. c. p. 224 ss. 232 s.) mecum consentit Helm *Luc. und Menipp* p. 242, cuius verba adpono: 'es ist höchst wahrscheinlich, dass dieser (Bio), um zu zeigen, wie wenig durch rechtliche Knechtschaft die geistige Abhängigkeit bedingt ist, auf Herakles, das Vorbild der kynischen Sekte, und Diogenes, ihren eigentlichen Begründer hinwies.' conferantur etiam quae de sententia mea dixit C. Praechter *Jahresber.* LXXXXVI (1898) p. 16.

Ut ad syllogam Laertianam redeam, noli putare tam ineptum fuisse Bionem adeove sibi non constantem, ut senectutem alio loco laudaret, accusaret alio. multum a Bione et copiose in utramque partem disputatum est de senectute ita ut accusandi partes darentur interlocutori, defendendi munus ipse in se reciperet philosophus[1]). verum est igitur quod tradidit Laertius (48): τὸ γῆρας ἔλεγεν ὅρμον εἶναι τῶν κακῶν· εἰς αὐτὸ γοῦν πάντα καταφεύγειν, sed dicta fuisse haec videntur ex persona adversarii, quem Antiphanis versibus usum fecit his (Stob. flor.

---

1) Laudatio senectutis erat Favorini liber Περὶ γήρως, in quo refutabantur pro re nata etiam accusatorum argumenta. neque igitur abhorret ab hoc libro frustulum a Stobaeo servatum flor. 116, 44 Mein. scribendum esse Φαβωρίνου ἐκ τῶν περὶ γήρως. Πολύς τοι μόχθος ἐν μακρῷ χρόνῳ (ubi lem. φαβ˜ nec plus S φαβουρίνου ἐκ τ̄ κγ̄ MA) viderunt Roeper et Meineke. erravit Marres Favor. p. 85. 131. Iunci liber est dialogus. disputatur contra adversarium adstante corona, quod manifestum est ex flor. 115, 26 p. 74, 23 Mein.: ἐδόκει γάρ πως οὗτος (sc. ὁ λόγος) ἐνίους τῶν παρόντων ταράττειν ἅμα τε καὶ λυπεῖν, ἐπειδὴ καὶ προστησάμενος τοῦ παντὸς ἀγῶνος καὶ τῆς χλεύης τὸν περὶ τοῦ θανάτου φόβον ἤλπισας ἐκπλήξειν οὐδὲν ἧττον κἀμὲ τὸν ἀντιλέγοντά σοι. cf. etiam flor. 117, 9 p. 93, 4: καὶ δὴ σκοπήσατε, ὦ παρόντες, ὅτι κτέ. ubi falleretur qui verba ὦ παρόντες ex oratione philosophi cuius mentio fit iterata esse putaret. fragmenta quae aetatem tulerunt facile apparet hoc olim ordine lecta esse: flor. 116, 49. 117, 9. 115, 26. 121, 35 nihil ut desideretur in confinio eclogarum 117, 9 et 115, 26. has cohaerere perspexit Meineke. fontes Iunci exquirere huius loci non est, sed irritam esse eorum opinionem qui Ciceronis librum a Iunco adhibitum esse putant persuasum habeo. et assensus mihi est R. Heinze mus. Rhen. XLV p. 516 adn. ceterum cum Bione cohaerere Iuncum nec ipse dixeram et recte negat Heinze.

116, 15 M.):

τὸ γῆρας ὥσπερ βωμὸς ἐστὶ τῶν κακῶν·
πάντ᾽ ἔστ᾽ ἰδεῖν εἰς τοῦτο καταπεφευγότα.

irrideri poetae alicuius versum hoc loco acute perspexit Gomperz *Sitzungsber. d. Wien. Akad.* LXXXIII p. 576 sqq. non refragante Usenero *Wien. Stud.* X p. 184, quamquam etiam alium aculeum dicto subesse coniecit clarus Epicuri sospitator. neque ego adversabor si quis βωμός in ὅρμος consulto a Bione mutatum esse crediderit, modo ne ipsum Bionem vulgi de senectute querelis adsentientem faciat. quod autem ex gnomologio Vaticano nuper edidit Sternbach n. 163: ὁ αὐτὸς (sc. Βίων) ἔφη τὸ γῆρας λείψανον εἶναι τοῦ βίου, id neutro indignum, nec interlocutore nec ipso philosopho. nam poterat λείψανον τοῦ βίου appellare senectutem etiam senectutis defensor (cf. Cic. Cat. mai. c. 20: *illud breve vitae reliquum*), licet mihi videatur probabilius haec ad eius orationem referre, cui odiosa est senectus propter mortis appropinquationem, ergo ad interlocutorem[1]). huic igitur conveniat etiam λειψανοθήκην τοῦ βίου, quod pro λείψανον εἶναι τοῦ βίου salis Bionei mica ne deesset dubitanter coniecit Usener l. c. p. 184 adn. 4. at unde Bionis de senectute sententia comperta sit quaeris? exstat disertum hoc Laertii testimonium IV 51: μὴ δεῖν ἔφασκεν ὀνειδίζειν τὸ γῆρας, εἰς ὅ, ἔφη, πάντες εὐχόμεθα ἐλθεῖν, cuius priorem partem liquido confirmari vides Teletis Περὶ αὐταρκείας sermone sapientiae Bioneae plenissimo. p. 8, 6: ἀλλ᾽ ἡμεῖς πάντα μᾶλλον αἰτιώμεθα ἢ τὴν ἑαυτῶν δυστροπίαν καὶ κακοδαιμονίαν, τὸ γῆρας, τὴν πενίαν, τὸν ἀπαντήσαντα, τὴν ἡμέραν, τὴν ὥραν, τὸν τόπον. 11, 10: διὸ ἅπερ λέγω, οὐχ ὁρῶ πῶς αὐτὰ τὰ πράγματα ἔχει τι δύσκολον, ἢ γῆρας ἢ πενία ἢ ξενία. 12, 5: οὕτως ἐάν σοι δείξω δύο γέροντας, δύο πένητας, δύο φεύγοντας, τὸν μὲν ἐν τῇ πάσῃ εὐκολίᾳ καὶ ἀπαθείᾳ ὄντα τὸν δὲ ἐν τῇ πάσῃ ταραχῇ, οὐ φανερὸν ὅτι οὐ τὸ γῆ-

1) Cautius esse in ambiguo relinquere, Bioni an interlocutori danda sint verba, monui mus. Rhen. XLVII (a. 1892) p. 337 adn. Koertio respondens, qui de interlocutore dubitaverat. nescimus enim sententiarum conexum unde illa desumpta sint.

ρας, οὐ τὴν πενίαν, οὐ τὴν ξενίαν αἰτιατέον ἀλλ' ἕτερόν τι; alteram autem partem offert Seneca de const. sap. 17, 2 *senectutem quidam inviti audiunt et canos et alia ad quae voto pervenitur.* denique adulescentes ait fortitudine uti, prudentia quam bonorum finem praedicat (Laert. IV 51) vigere senescentes (ib. 50): τῇ μὲν ἀνδρείᾳ νέους ὄντας ἔφη χρῆσθαι, τῇ δὲ φρονήσει γηράσκοντας ἀκμάζειν. neque igitur quid senserit Bio poterit dubitari. quod addo, ad formam orationis pertinet. accommodate enim compones Aeschinis contra Timarch. 11: οὐκ ἠγνόει οἶμαι ὁ νομοθέτης ὅτι οἱ πρεσβύτεροι τῷ μὲν εὖ φρονεῖν ἀκμάζουσιν κτέ. neque hoc negleges verba μὴ δεῖν ὀνειδίζειν τὸ γῆρας, εἰς ὃ πάντες εὐχόμεθα ἐλθεῖν Bionem non scripsisse sine recordatione comoediae. id manifestum erit duobus locis adlatis altero Menandri (Stob. flor. 116, 8 Mein.):

πάντες εἰς σὲ (sc. τὸ γῆρας) δὲ
ἐλθεῖν ὅμως εὐχόμεθα καὶ σπουδάζομεν,

altero Antiphanis (Stob. flor. 115, 9):

ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα, . . .
οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτέ,
ἀνιώμεθ'· οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.

Ut syllogam Laertianam recensere pergam, de puerorum amore Bio haec fertur dixisse IV 49: ἔλεγε δὲ συνεχὲς ὅτι αἱρετώτερόν ἐστι τὴν ὥραν ἄλλῳ χαρίζεσθαι ἢ ἀλλοτρίας ἀποδρέπεσθαι· καὶ γὰρ εἰς σῶμα βλάπτεσθαι καὶ εἰς ψυχήν[1]). διέβαλε δὲ καὶ τὸν Σωκράτην, λέγων ὡς εἰ μὲν εἶχεν Ἀλκιβιάδου χρείαν καὶ ἀπείχετο, μάταιος ἦν· εἰ δὲ μὴ εἶχεν, οὐδὲν ἐποίει παράδοξον. scire autem velim, quomodo haec salva ratione inter se conciliari possint. nam si pedico corpore et animo laeditur, quo modo Socrates ineptus Alcibiade abstinens? ac si tolerabilem esse eius modi amorem credidit, cur tyrannidem eius irri-

1) Quod Philo Περὶ τῶν ἀναφερ. ἐν εἴδει νόμων κτέ. III 7 (vol. V p. 160, 13 Cohn) de pediconibus pathicisque dixit τάς τε ψυχὰς καὶ τὰ σώματα διαρρέουσι cum Bioneis apte comparavit Reinoldus Schuetze Iuvenalis eth. (Gryphiae a. 1905) p. 32.

sit (vid. supra p. LXXI)? denique cur Alcibiadem vituperavit quod dum esset adulescens viros ab uxoribus abalienasset (Laert. IV 49)? sed si perlustrabimus locos a Plutarcho Diogene Stobaeo traditos, non nisi uno illo de Socrate dicto paederastiae extitit quodammodo patronus. nam quod ad singula descendens pedicare turpius putabat quam pedicari, id minoris momenti est. potest igitur ita expediri difficultas ut dicamus Bionem amorem libidinosum serio et ioco impugnasse, sed Theodori sectam secutum etiam in hac re propius non numquam afuisse a voluptariis. neque enim abhorret dictum a Theodoreis (cf. supra p. LXXVI), iterum ut laxioris ingressus vestigia adpareant in eo quem ab alia secta ad aliam transisse sciamus. ipsum aliquando muliebria passum esse ex eis quae ad Antigonum scripsisse traditur (Laert. IV 46: καί με ἀγοράζει τις ῥήτωρ νεώτερον ὄντα καὶ εὔχαριν· ὃς καὶ ἀποθνήσκων κατέλιπέ μοι πάντα) nemo colligere ausit nisi qui calumniatoris mores imitari non erubescat, cum praesertim de origine epistulae nuper mota sit suspicio.

Restat aliud gnomologii Laertiani frustulum quod quo modo Bionis sapientiae conveniat vellem explicassent qui inter Cynicos illum fidenter rettulerunt. est hic de amicitia locus IV 51: τοὺς φίλους ὁποῖοι ἂν ὦσι συντηρεῖν, ἵνα μὴ δοκοίημεν πονηροῖς κεχρῆσθαι ἢ χρηστοὺς παρῃτῆσθαι. nam cum iubet nos Bio conservare amicos quales sint cumque, ne malis usi esse videamur aut probos recusasse, praeceptum dat quod ad vitam caute agendam satis utile sit, sed severioris philosophi sapientiae parum conveniens. neque tamen licere immutare verba tradita, ut Cynico dignior fiat sententia, merito me monuerunt docti. nolui igitur repugnare (cf. mus. Rhen. XLVII a. 1892 p. 236 adn. 1) eis quae contra me dixerat A. Koerte *Wochenschr. f. kl. Philol.* 1891 p. 348 aliique haud pauci, et fortasse verum vidit Gerhard *Phoinix* p. 42, cum Bioneum illud ex Theodori praeceptoris sapientia repeteret, quem sciamus amicitiam in nullo pretio habuisse, Diog. L. II 98 ἀνῄρει δὲ καὶ φιλίαν κτέ. utique amicitiae non adeo multum tribuisse videtur utilitatis verae vel dignitatis qui amicos servari vult qualescumque. quamquam non constanter idem senserit

de amicitia Bio. nam irridet eos qui adulatoribus aures patefaciunt. notus est locus Plutarchi de vitioso pudore p. 536 A: διὸ καὶ Βίων ἀπείκαζε τοὺς τοιούτους (i. e. τοὺς τὰ ὦτα τοῖς κολακεύουσι παραδιδόντας) ἀμφορεῦσιν ὑπὸ τῶν ὤτων ῥᾳδίως μεταφερομένοις (cf. Demophili similitud. 3 Phil. Iud. op. VI p. 234 ed. Lips.). patet hinc παρρησίαν, quam quanti aestimaverit supra vidimus, etiam in amicitia eum valere voluisse (cf. Stob. III 13, 44 H. gnomol. Vatic. ed. Sternbach. n. 194). libere loquatur amicus et ingenue alterius errorem corrigat corrigique se patiatur libenter. sed suum etiam laudibus locum esse, si benivolo assensu naturam hominis ad honesta facienda alacriorem fore sperari possit fiduciamque firmiorem. respicio locum quem iniuria carpi a Plutarcho in libro de amici et adulatoris discrimine p. 59 A mihi non minus quam aliis persuasum est: εὔηθες τοίνυν καὶ ἀβέλτερον τὸ τοῦ Βίωνος 'εἰ τὸν ἀγρὸν ἔμελλες ἐγκωμιάζων εὔφορον ποιεῖν καὶ εὔκαρπον, οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν ἐδόκεις τοῦτο ποιῶν μᾶλλον ἢ σκάπτων καὶ πράγματα ἔχων. οὐ τοίνυν οὐδ' ἀνθρώπους ἄτοπος ἂν εἴης ἐπαινῶν, εἰ τοῖς ἐπαινουμένοις ὠφέλιμος ἔσῃ καὶ πρόσφορος'. nam quae a Plutarcho adduntur ad Bionem refellendum: ὁ μὲν γὰρ ἀγρὸς οὐ γίγνεται χείρων ἐπαινούμενος, ἄνθρωπον δὲ τυφοῦσι καὶ ἀπολλύουσιν οἱ ψευδῶς καὶ παρ' ἀξίαν ἐπαινοῦντες, eis minus momenti tribuemus Bioneo contra adulatores loco collato. falsas fictasque assentatorum laudes quas Plutarchus supponit nihili pendit Bio, si modo audire voles ipsum [1]). sed haec quidem hactenus.

Collectis eis quae Diogenis potissimum gnomologium spectantes modo disputavimus iam apparet inconstantiae crimine Bionem ita fere liberari posse, si meminerimus a cynismo illum transisse ad Theodorum. nam quae nobis cognita sunt vel apud Laertium vel apud alios frustula nomine Bionis insignita, eorum plurima concordant cum cynismo, nonnulla velut de pae-

1) Oblocutus mihi nuper est in hac re G. A. Gerhard *Phoinix* p. 43, sed ut dicterii quo irrisit Bio eos qui ab adulatoribus se corrumpi patiuntur rationem non haberet. neque de suo ille argumenta protulit, quibus sententia mea labefactetur.

derastia dictum alterumque illud quo de conservandis amicis agitur rationibus Theodoreis non repugnant [1]). paucae autem quae restant voces sane ac vere dissonae cum in solo reperiantur Laertio, recte videor mihi iudicasse non inconstantiam Bionis [2]) in his accusandam esse sed gnomologi Laertiani neglegentiam. ac vitium contraxisse putant dictum quo Bio δόξαν illustravit, in tribus autem reliquis [3]), quibus divitiae laudantur immodice, accusantur ignobilitas ut videtur et senectus, ex bono quidem fonte hausit gnomologus, sed oblatis hic minus bene usus est, fortasse quia liber quem manu trivit male erat distinctus. quod enim iam ex Teleteis sermonibus satis tuto colligere licebat, id syllogae Laertianae aliquot locis confirmari puto, etiam in Bionis diatribis valuisse illam contra alterius opinionem disputandi rationem Socraticae vel Platonicae dissimiliorem quam

1) Senecae verba de tranquill. c. 15 sub finem truncata sic restituit Buecheler: *singula propter quae laeti ac tristes sumus, sibi quisque proponat, et sciet verum esse quod Bion dixit: omnia hominum negotia simillima initiis esse nec vitam illorum magis sanctam aut severam esse quam conceptum, ⟨in nihilum recidere de⟩ nihilo natos.* in codice A est *nichilo nat;*.

2) Inconstantiae crimen quod inde a Lipsio Bioni obiectare soliti sunt adeo inveteravit, vix ut inter philosophos iustum ei locum concedere vellent. cf. Zeller[4] II 1 p. 342 adn. 2: 'Im übrigen ist er mehr witziger Literat, als Philosoph.' idem indicis p. 7: 'Bio der Borysthenite, athenischer Literat um 300 v. Chr.' Hirzel *Unters.* l. c. p. 60: 'obgleich Bion nur philosophisch schillerte, so tritt doch der kynische Zug in seinem Wesen stark hervor und huldigte er in seinem Tun und Reden einer extremen Richtung, die der vermittelnden Zenons und seiner echten Anhänger geradewegs zuwiderlief.' *Der Dial.* I p. 387.

3) Raro igitur nunc modestiusque quam in proecdosi adversario adsignavi sententias Cynicae vel Theodoreae sapientiae obstrepentes. non propius autem a vero, opinor, afuere qui rationem a me propositam totam reicerent, velut ab Arnim l. c. p. 127 vel Praechter *Jahresber. über die Fortschr. der cl. Altertumsw.* LXXXXVI (a. 1898) p. 17, quam qui sine controversia eam adprobarent, ut Susemihl l. c. p. 37 adn. 106. quod autem veretur ab Arnim (*Gött. gel. Anz.* a. 1890 n. 40 p. 127) ne ratione mea admissa nimiae imbecillitatis insimuletur excerptor, id ideo parum valet, quia unum alterumve dictum hodieque disceptatur inter doctos ipsi Bioni adscribendum sit an interlocutori. cf. p. LXXXII adn. 1. XC et adn. 1.

similiorem, ut totum hoc genus cuius originem recte explicavit de Wilamowitz l. c. p. 307 sq. orationibus non magis vel declamationibus quam dialogis adnumerari possit[1]). aliqua ex parte recte procedunt quae de hoc genere disputavit Hermannus Schlottmann dissertationis Rostochii editae p. 32 sq., quamquam demonstrari posse nego quod ille sibi persuasit ad Stilponem tamquam inventorem referendum esse genus Bioneum. sed haec industriosius nunc non persequor. ut autem per se veri dissimile est 'dialogorum' exempla quorum ἀόριστα erant (ut cum Basilio loquar) πρόσωπα scaenaque non descripta ad unam quasi normam revocanda esse, ita ne Bioneae quidem rationis perfectam plenamque imaginem nobis informari posse putaverim ex Teletis declamationum epitoma. verendum est enim ne epitomator quod semel iterumque significavi non numquam deleverit dialogi formam aut obscuraverit utpote coartanti minus opportunam. si autem vera sunt quae supra de gnomis aliquot Laertianis exposuimus, nescio an non ubique tam leviter in Bioneis diatribis quam in Teletis epitoma adumbratae fuerint partes eius cui quod vulgo probatum est deferebatur defendendum. quamquam quod in proecdosi suspicatus eram fieri potuisse ut etiam interlocutori non numquam salis aliquid vel acuminis a Bione impertiretur, id cum aliis veri minus simile visum sit, nolo nunc repetere. certum est in Bionis diatribis interlocutorem non defuisse, nec non versibus pugnatum est. Theognidis Euripidis Antiphanis aliquot versus adhiberi modo vidimus ex persona adversarii. quamquam fieri poterat ut versiculos hic illic sibi ipse potius Bio obiceret quam obicientem faceret adversarium. quod cadere videtur in extremam Teletei Περὶ φυγῆς sermonis particulam quam Bioneam esse mihi per-

1) Quomodo paulatim ad diatribae formam perventum sit vel ipso Platone quadamtenus praeeunte, investigare interim studuit E. Norden *Die antike Kunstpr.* I p. 129 adn. 1. de arte vero artibusque in Bionis diatriba conspicuis summatim egit P. Wendland *Philo und die kynisch-stoische Diatribe* (*Beitr. zur Gesch. der griech. Philosophie und Relig. von Wendland und Kern* Berol. a. 1895) p. 3 s., idem in libro egregio *Die hellenistisch-römische Kultur* (Tubingae ed. a. 1907) p. 41.

suasum est. idem de hoc illo paucorum locorum quos supra 'interlocutori' adsignavimus moneri oportet[1]). apparet autem in tmemate Teleteo Euripidis dicta ita cumulari, ut quot adferuntur opiniones vulgo probatae totidem adferantur versiculi. dispicitur hinc quam facile a Bionea disserendi ratione ad mixtum ac suum genus pervenire potuerit Menippus qui pedestrem sermonem variique generis carmina intra eiusdem satirae spatium discordi ut aiunt concordia copulavit, ut merito queratur Dialogus in Luciani Bis accusato 33: οὔτε πεζός εἰμι οὔτε ἐπὶ τῶν μέτρων βέβηκα. non subito apud Graecos artis fiunt commutationes. iter quasi digito demonstrat Lucianus cum ipsum Menippum mirabilis sui generis fontem et originem sic facit exponentem necyom. 1: μὴ θαυμάσῃς, ὦ ἑταῖρε· νεωστὶ γὰρ Εὐριπίδῃ καὶ Ὁμήρῳ συγγενόμενος οὐκ οἶδ' ὅπως ἀνεπλήσθην τῶν ἐπῶν καὶ αὐτόματά μοι τὰ μέτρα ἐπὶ τὸ στόμα ἔρχεται. sed de hac re non licere verba spargere praetervehendo et olim monui et sciunt hodie qui Rudolfi Helmii de Luciano et Menippo librum inspexerunt. quod autem interlocutori non numquam poetarum locos attribuit Bio, hoc scite fecisse putandus est et prudenter. nam lectionem hac ratione ostendit abunde ostentationemque refugit utpote impugnans carmina per quae affectibus vitiisque excusationes suggeruntur. et cum ipse adderet alia poetarum testimonia quibus adversarium ad veritatis confessionem addu-

1) Hanc sententiam iteravi mus. Rhen. XLVII p. 236 s. adn. 1, ubi addidi nonnulla partim obsecutus Koertio partim oblocutus. de poetarum autem versibus ex mente adversarii intersertis quae scripsit Praechter l. c. p. 18: 'Bei der längst üblichen Verwertung einschlägiger Dichterstellen in der Behandlung ethischer Fragen wurde mit solchen Citaten dem Gegner keine neue Waffe in die Hand gedrückt, sondern nur eine solche, die ihm längst zur Verfügung stand, belassen, um ihre Unbrauchbarkeit darzutun', eis cur ego obsistam non habeo. nam sive tritiora erant eius modi poetarum testimonia iamque ante Bionem adlata sive Bio eis usus est primus, adhibentur ex persona adversarii. quod ut ne ipse quidem negat Praechter, si recte eius sententiam intellego, ita vix dubitabit quin eis testimoniis quae iam alii protulerant etiam nova addiderit Bio sua ipsius quam cum poetis contraxerat familiaritate invitatus.

ceret, hoc novo sermones ornatu non induisse videbatur nisi ab illo instigatus simulque meliora illum edocturus. at scientes non fefellit. neque enim licet dubitare quin Theophrastus etiam immodicum flosculorum usum notarit noto isto de Bioneis lenociniis iudicio, quamquam non hunc ille respexit solum. omnino enim iucunda quadam oblectamentorum copia et varietate diatribas Bio consperserat. utebatur sermone *modo tristi saepe iocoso.* idemque qui felici et festiva morum ac vitae imitatione praeter ceteros insignis erat nativumque sermonis familiaris colorem adeo non respuebat ut ad infima ac squalida nonnumquam demitteretur, delectavit haud raro animos audientium etiam artis rhetoricae luminibus. quod nemo ita interpretabitur quasi eam ego indolem fuisse Bionis existimem ut diatribas suas velut ad rhetorum praecepta aequabiliter expoliret. immo laxiore quodam dicendi genere ille usus est nec severioribus artis legibus adstricto. cui generi convenire video remissiorem illam dialogi formam, crebrum usum poetarum, morum denique et vitae vulgaris facetam imitationem. sed ut erat homo perquam ingeniosus (πολύτροπος καὶ σοφιστὴς ποικίλος Laert. IV 47 cf. Vsener Epic. p. 417 s.), artem occurrendi satietati varietate ita callebat, ut ubicumque ex re et in rem esse putabat etiam fuco rhetorico orationem subornaret: διὰ δὴ οὖν τὸ παντὶ εἴδει κεκρᾶσθαι λόγου (sic libri teste Wachsmuthio) φασὶ λέγειν ἐπ' αὐτοῦ τὸν Ἐρατοσθένην, ὡς πρῶτος Βίων τὴν φιλοσοφίαν ἀνθινὰ ἐνέδυσεν (Laert. IV 52). quod exemplis nonnullis comprobare in animo est.

Praemoneo genuinam orationis formam, si Teletea exceperis, aliquanto fidelius servatam esse in gnomologio Laertiano quam in eis quae Stobaeus tradidit Favorino ut videtur (vid. Freudenthal mus. Rh. XXXV p. 424) usus. quod perspicies, si inter se composueris quae utrique sunt communia.

Laert. IV 50	Stob. III 4, 87 H. Βίωνος.
τὴν οἴησιν ἔλεγε προκοπῆς ἐγκοπήν [1]).	Βίων ἐρωτηθεὶς τί ἐστιν ἄνοια εἶπε 'προκοπῆς ἐμπόδιον'. sic

1) 'Das οἴησις προκοπῆς ἐγκοπή . . . als ἀρχαίων λόγος citiert in einem

Laert. IV 51

πρὸς τὸν βάσκανον ἐσκυθρωπακότα 'οὐκ οἶδα', ἔφη, 'πότερον σοὶ κακὸν γέγονεν ἢ ἄλλῳ ἀγαθόν'.

MA Tr., lemma om. Tr. ἐγκοπή ex Laertio Meineke, non recte.

Stob. flor. III 38, 50 Βίωνος.

Βίων ὁ σοφιστὴς ἰδών τινα φθονερὸν σφόδρα κεκυφότα, εἶπεν· 'ἢ τούτῳ μέγα κακὸν συμβέβηκεν ἢ ἄλλω μέγα ἀγαθόν'. cf. gnomol. Vatic. ed. Sternbach. n. 158. 266. 334.

prioris igitur dicti acumen vides obtusum in Stobaeo. brevis et simplex sententiae vel chriae forma exstat in gnomologio Laertiano, verbositas ac loquela ex trivio petita apud Ioannem. quamquam concedendum est etiam in Stobaeanis multo praevalere simpliciorem illam excerpendi rationem: φησὶν ὁ Βίων (flor. 2, 39 et 62, 42) Βίων ἔλεγε vel εἶπε vel ἔφη (ecl. II 1, 20 p. 7, 14 W. II 31, 97 p. 218, 16 W. III 4, 52. 10, 37 H. IV 5, 23 H. flor. 91, 32. 93, 34. 105, 56 Mein.) nec deesse rursus in Laertii sylloga uberiores istas chriae formulas (velut ὀνειδιζόμενος ἐπὶ τῷ μὴ θηρᾶσαι μειράκιον — εἶπεν IV 47, ἐρωτηθείς ποτε τίς μᾶλλον ἀγωνιᾷ, ἔφη 48, ἐρωτηθεὶς εἰ γήμαι — ἔφη ib. similes) quibus sententiam excerptam illustrare solebant vel potius deformare gnomologi. haec sunt ἀποφθέγματα quae vocat Laertius χρειώδη πραγματείαν περιέχοντα. vix enim dubium est quin quae in diatribis legebantur perpetua implicita contexta ea in 'apophthegmatum' vel 'chriarum' formam redegerit gnomologus [1]). res manifesta erit his locis inter se comparatis

---

philonischen Fragmente, das, wie Harris *Fragments of Philo* S. 99 übersehen hat, in den Quaest. in Exod. II 107 nachzuweisen ist' P. Wendland *Archiv für Gesch. der Philos.* IV (1891) p. 681.

1) Operae pretium faciet qui quotquot huius generis exempla reperiri possunt collegerit collectaque illustrarit. interim haud inutile erit memoria tenere quae sano iudicio scripsit Duemmler Antisth. p. 71 appositisque nuper exemplis confirmavit Sternbach ad gnomol. Vat. n. 65.

Arrian. Epictet. diss. III 6, 9	Laert. IV 47	Seneca epist. 112, 1
τῶν νέων τοὺς μαλακοὺς οὐκ ἔστι προτρέψαι ῥᾴδιον· οὐδὲ γὰρ τυρὸν ἀγκίστρῳ λαβεῖν. οἱ δ' εὐφυεῖς, κἂν ἀποτρέπῃς, ἔτι μᾶλλον ἔχονται τοῦ λόγου.	ὀνειδιζόμενος (sc. ὁ Βίων) ἐπὶ τῷ μὴ θηρᾶσαι μειράκιον 'οὐχ οἷόν τε' εἶπεν 'ἁπαλὸν τυρὸν ἀγκίστρῳ ἐπισπᾶσθαι'.	*Cupio mehercules amicum tuum formari . . . et institui: sed valde durus capitur, immo, quod est molestius, valde mollis capitur* e. q. s. ubi vide quae adnotavi edit. meae p. 523.

Arrianus Epicteteus sive Musonius (pergit enim ille: διὸ καὶ ὁ Ῥοῦφος κτέ. cf. Muson. fr. XLVI p. 129 H.) servavit perpetuam diatribae orationem, apophthegmatis formam praetulit auctor Laertii. alibi ne haec quidem optime cessit raptim excerpenti. quod valet de proximo loco Laertii: ἐρωτηθείς ποτε τίς μᾶλλον ἀγωνιᾷ, ἔφη 'ὁ τὰ μέγιστα βουλόμενος εὐημερεῖν'. nam ut integra stet sententia, desideratur membrum alterum ab excerptore omissum. alibi eundem non satis cavisse observavimus ut interlocutoris verba a sententia Bionea distingueret. sed hoc ipso manifestum est eum qui syllogam composuit diatribas continuas ante oculos habuisse. et poetarum Antiphanis et Menandri lectio quam supra significavi qui pelluceret, nisi ad verbum fere excerpta essent frustula? haec reputans eorum probo sententiam, qui etiam ad orationem Bionis certius cognoscendam Laertianum potissimum gnomologium modeste quidem adhiberi posse censent. videbimus autem exornationes quae cernuntur in locis a Telete exscriptis simillimas recurrere in sylloga Laertii. habent igitur suam utilitatem quae compono, etsi vereor ne per se ipsa multis videantur pusilla.

Non repeto quae alii observarunt de largo similitudinum usu quo ne ab Aristone quidem Chio Bionem superari putaverim, aut de prosopopoeia personarumque ficta inductione qua cum poetis paene concertat, immo eis praesertim me contineo quae ad membrorum conformationem verborumque collocationem

pertinent. auget igitur vim sententiae ille haud raro membris aequaliter conformatis. in primis notatu dignum est exemplum quod legitur Tel. p. 15, 11: καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα, ὅταν τὸ ἐνοίκιον ὁ μισθώσας οὐ κομιζόμενος τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, οὕτω, φησί, καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι, ὅταν ἡ μισθώσασα φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται τὰ ὦτα τοὺς πόδας. membra quae inter se respondent καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας ἐξοικιζόμεθα et οὕτω καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι pari syllabarum numero exaequata sunt, diiunctione ornatur similiterque cadentibus membrum ὅταν — τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, denique asyndeto augetur vis membri extremi ὅταν — τοὺς πόδας. cura vix minore elaborata sunt haec quae exstant p. 6, 12: οὐ πᾶν τὸ προσταττόμενον ὑπὸ σοῦ ποιῶ; οὐ τὴν ἀποφορὰν εὐτάκτως σοι φέρω; dein p. 7, 4: ἢ οὐ μεσταὶ μὲν αἱ ὁδοὶ λαχάνων, πλήρεις δὲ αἱ κρῆναι ὕδατος; ibid. 8: ἢ οὐχ ὁ πεινῶν ἥδιστα ἐσθίει καὶ ἥκιστα ὄψου δεῖται; καὶ ὁ διψῶν ἥδιστα πίνει καὶ ἥκιστα τὸ μὴ παρὸν ποτὸν ἀναμένει; quorum priora membra constant pari fere numero syllabarum, tertius locus item duobus continetur membris quae inter se similia sunt eaque specie exornata ut in utroque voces ἥδιστα et ἥκιστα contra contendant. Xenophontem, cuius verba adscripsi, imitatus est Bio, utrumque nescio an cognitum habuerit Epicurus. cf. etiam Laert. IX 19 et Stobaei III 1, 23 H. adnominationis exempla iam alii collegerunt, velut decantatum illud: ἐὰν μὲν γήμῃς αἰσχράν, ἕξεις ποινήν· ἂν δὲ καλήν, ἕξεις κοινήν (Laert. IV 48) vel quod supra memoravimus τὴν οἴησιν ἔλεγε προκοπῆς ἐγκοπήν Heraclito adsignatum in flor. Mon. 199: vid. gnomol. Vatic. n. 306. quanto illud simplicius idemque verbosius quod Zenoni datur a Laertio VII 23: ἔλεγε δὲ μηδὲν εἶναι τῆς οἰήσεως (ποιήσεως libri quod dudum correxerunt) ἀλλοτριώτερον πρὸς κατάληψιν τῶν ἐπιστημῶν. cf. Seneca de tranqu. 1, 16. denique notum est de Persaeo Citiensi dictum quod tradidit Athenaeus IV p. 162 C. sed addi poterat teste Telete p. 9, 2: ὥσπερ τῶν θηρίων παρὰ τὴν λῆψιν ἡ δῆξις γίνεται, ubi non sine acumine

aliqua verborum affectatur consonantia. eleganter ad idem reditur verbum in hac sententia Laert. IV 48: μέγα κακὸν τὸ μὴ δύνασθαι φέρειν κακόν, cum qua conferre iuvat Biantis illud (Laert. I 86 gnomol. Vatic. 153 flor. Mon. 168 al.): ἀτυχῆ εἶναι τὸν ἀτυχίαν μὴ φέροντα, sed εὐτυχίαν pro ἀτυχίαν legitur in Vaticano, quae lectio quasi 'unice vera' placuit Sternbachio. Bionem vel Bionis aliquem similem haud scio an imitatus sit Seneca ep. 85, 28: *qaeris quid sit malum? cedere iis quae mala vocantur* qauloque liberius ep. 96, 1: *non feram me, quo die aliquid ferre non potero.* conversionis figuram quantopere in deliciis habuerit Bio, haec declarabunt notissima: Laert. IV 48 πρὸς τὸν τὰ χωρία κατεδηδοκότα 'τὸν μὲν' Ἀμφιάραον' ἔφη 'ἡ γῆ κατέπιε, σὺ δὲ τὴν γῆν' ib. IV 50 πρὸς πλούσιον μικρολόγον 'οὐχ οὗτος' ἔφη 'τὴν οὐσίαν κέκτηται, ἀλλ' ἡ οὐσία τοῦτον' [1]). membrorum aequalitatis studium, quod in Teletis locis observavimus, in aliis quoque apparet. en Stobaei gnoma etiam prosopopoeiae quodam vigore notabilis flor. 93, 34 Mein.: Βίων ἔλεγε καταγελάστους εἶναι τοὺς σπουδάζοντας περὶ πλοῦτον, ὃν τύχη μὲν παρέχει, ἀνελευθερία δὲ φυλάττει, χρηστότης δὲ ἀφαιρεῖται. compar quod rhetores vocant haud scio an lectum fuerit in fonte Laertii IV 50: πρὸς τὸν ἀδολέσχην λιπαροῦντα συλλαβέσθαι αὐτῷ 'τὸ ἱκανόν σοι ποιήσω, ἔφη, ἐὰν παρακλήτους πέμψῃς [καὶ αὐτὸς μὴ ἔλθῃς]'. abicienda enim mihi videntur verba extrema, quibus mirum quantum debilitatur ironia et acumen. vin tu garru-

---

1) Apte iam a Menagio comparatus Seneca est ep. 119, 12: *sic divitias habent, quommodo habere dicimur febrem, cum illa nos habeat. e contrario dicere solemus: febris illum tenet. eodem modo dicendum est: divitiae illum tenent.* sed saepe ille sic loquitur velut de vita beata 22, 5: *divitiae meae sunt, tu divitiarum es* vel ibidem paulo ante 14, 1: *ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet.* de ira I 17, 1: *haec arma* (sc. *adfectus quosdam*) *quae Aristoteles virtuti dat, ipsa per se pugnant, non exspectaut manum, et habent, non habentur.* commune autem huius locutionis principium h. e. celebre illud Aristippi ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι (Laert. II 75) ad Chriarum libros (Χρειῶν τρία Laert. II 85) qui tribui solebant Aristippo referendum esse sagaciter perspexit Sternbach gnomol. Vatic. 65.

lum verbositate confutare? concisa brevitas invitat interpretem. velut paradoxon quod supra laudavimus idemque compar οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι, οἱ δὲ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι [πολλῶν ἐπιθυμιῶν] deturpatur additamento hoc quod seclusit Meineke[1]). isocoli non minus egregium exemplum hoc est Laert. IV 49: τὸν Ἀλκιβιάδην μεμφόμενος ἔλεγεν, ὡς νέος μὲν ὢν τοὺς ἄνδρας ἀπάγοι τῶν γυναικῶν, νεανίσκος δὲ γενόμενος τὰς γυναῖκας τῶν ἀνδρῶν, idem et scita conversione et homoeoteleuto quodam excellens. nec fere absimile est quod ex Theophrasto videtur iterasse gnomol. Vat. 159: εἰ μὲν πεπαιδευμένος σιωπᾷς, ἀπαίδευτος εἶ· εἰ δὲ ἀπαίδευτος ὤν, πεπαίδευσαι, cf. ibid. 333. similiter desinentia deprehendimus etiam Laert. IV 51: τοὺς φίλους ὁποῖοι ἂν ὦσι συντηρεῖν, ἵνα μὴ δοκοίημεν πονηροῖς κεχρῆσθαι ἢ χρηστοὺς παρῃτῆσθαι de quibus supra.

Quorsum haec collegimus? velim nunc iudices cuinam debeantur quae de humatione legis apud Teletem p. 31, 1 εἰ δὲ μὴ κρυφθείης, ἀλλ' ἄταφος ⟨ῥιφθείης⟩, τί τὸ δυσχερές; ἢ τί διαφέρει ὑπὸ πυρὸς κατακαυθῆναι ἢ ὑπὸ κυνὸς καταβρωθῆναι ἢ ἐπάνω τῆς γῆς ὄντα κοράκων ἢ κατορυχθέντα ὑπὸ σκωλήκων; conspicua quadam arte paronomasiae studium coniungitur cum homoeoteleutis. num Teletis hebetiore utique limula haec perpolita esse putabis? vix verum enuntiari necesse est. nam proxime praecedunt haec (p. 30, 1): ἀλλ' ἡ περὶ ταφῆς ἀγωνία, φησὶν ὁ Βίων, πολλὰς τραγῳδίας ἐποίησεν. neque igitur mirum quod deinceps ex tragoediae penu promuntur vulgaris opinionis adminicula. tecte simul perstringi videtur Crantor Academicus qui interrogatus ubi sepeliri vellet Arcesilae respondisse fertur eodem versu isto (Laert. IV 25): ἐν γῆς φίλης μυχοῖσι κρυφθῆναι καλόν. Bioni pauca erant communia cum Academicis (cf.

1) Bionis vox non recuperatur nisi expulsis verbis πολλῶν ἐπιθυμιῶν. minus certum est haec verba etiam in Stobaeo delenda esse. potuerunt gnomologo ex vicinis suppeditari si exemplum quaeris, horum similia quae Diogeni nunc tribuuntur a Laertio VI 66: τοὺς μὲν οἰκέτας, ἔφη, τοῖς δεσπόταις, τοὺς δὲ φαύλους ταῖς ἐπιθυμίαις δουλεύειν. unde apparet quam facile interpretatio inlabi dicto potuerit.

p. LXVII s.), ipse durior ut Cynicus et Theodoreus istius modi optatum irrisit tamquam anile. ut notissima afferam: Diogenes *proici se iussit inhumatum* (Cic. Tusc. disp. I 43, 104); *Theodori quidem nihil interest humine an sublime putescat* (ib. 102). Crantorem respici etiam de Wilamowitz animadvertit *Philol. Unters.* IV p. 68 adn. nec tamen recte hoc addidit: 'dort [bei Teles] wird der vers als sprichwörtlich für die sehnsucht im vaterland begraben zu liegen angeführt: Krantor ist die Γῆ als solche lieb, obwohl er in der fremde stirbt'. immo non alio sensu apud Teletem quam a Crantore versum adhiberi clarum est responso Cynico quo non de sepulcro in patria condendo agitur sed de ipsa humatione: εἰ δὲ μὴ κρυφθείης, ἀλλὰ ἄταφος ⟨ῥιφθείης⟩ κτέ. quibus verbis liquido confirmatur quod de origine huius tmematis supra dixi: inde a verbis ἢ τὴν ἀρχὴν εἰ μὴ ταφήσῃ (p. 30, 1) Bioneum περὶ ταφῆς ut videtur commentarium expilavit Teles ab ea disputatione quam ipse instituerat satis alienum (cf. p. XLIII). haec quidem plana et perspicua. sed quae sub finem subsequuntur p. 31, 9: καὶ ἡμεῖς μὲν καὶ ἰδεῖν καὶ ἅψασθαι ὀκνοῦμεν, οἱ δὲ (Αἰγύπτιοι) σκελετεύσαντες ἔνδον ἔχουσιν ὡς καλόν τι καὶ ἐνέχυρα τοὺς νεκροὺς λαμβάνουσιν· οὕτως ἀντέστραπται τῷ ἡμετέρῳ ὁ ἐκείνων τρόπος, nunc quidem durissime continuantur verbis praegressis. epitomatoris culpa, nisi males librarii. aliquid puto interceptum esse in hanc fere sententiam: *in errore te versari etiam eo manifestum est quod nationum mores in curandis post mortem corporibus quam maxime differunt.* nec dubito quin haec consuetudinum discrepantia etiam aliis quam Graecorum et Aegyptiorum exemplis declarata fuerit. sic commodius paulo transiri poterat ad ea quae nunc sola restant: καὶ ἡμεῖς μὲν κτέ. suspicio confirmatur eis quae ex Chrysippo derivata conservavit M. Tullius Tusc. disp. I 45, 107 s. atque etiam empiricus Sextus Pyrr. III 226 ss., de cuius fonte fere convenit inter Petrum Corssen mus. Rh. XXXVI p. 514 et Hirzelium *Unters.* III p. 398 adn. 1. adscribo Ciceronis locum: *sed quid singulorum opiniones animadvertam, nationum*

rarios errores perspicere cum liceat? condiunt Aegyptii mortuos et eos servant domi, Persae etiam cera circumlitos condunt, ut quam maxime permaneant diuturna corpora. magorum mos est non humare corpora suorum, nisi a feris sint ante laniata. in Hyrcania plebs publicos alit canes, optumates domesticos. nobile autem genus canum illud scimus esse; sed pro sua quisque facultate parat, a quibus lanietur, eamque optumam illi esse censent sepulturam. permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus; sed ita taetra sunt quaedam, ut ea fugiat et reformidet oratio[1]). consensu qui inter Chrysippi verba Teletem-

1) Non reformidavit talia carmini suo inserere idque loco ut sensit Bothe non perapto Silius Italicus Punic. XIII 466 ss. ed. Bauer

Tunc iuuenis: 'Gens o ueteris pulcherrima Clausi,
Haud ulla ante tuam, quamquam non parua fatigent,
Curarum prior extiterit. namque ista per omnis
Discrimen seruat populos uariatque iacentum
Exequias tumuli et cinerum sententia discors. 470
Tellure — ut perhibent, is mos antiquus — Hibera
Exanima obscenus consumit corpora uultur.
Regia cum lucem posuerunt membra, probatum est
Hyrcanis adhibere canes. Aegyptia tellus
Claudit odorato post funus stantia saxo 475
Corpora et a mensis exanguem haud separat umbram.
Exhausto instituit Pontus uacare cerebro
Ora uirum et longum medicata reponit in aeuum.
Quid, qui reclusa nudos Garamantes harena
Infodiunt? quid, qui saeuo sepelire profundo 480
Exanimos mandant Libycis Nasamones in oris?
At Celtae uacui capitis circumdare gaudent
Ossa, nefas, auro ac mensis ea pocula seruant.
Cecropidae ob patriam Mauortis sorte peremptos
Decreuere simul communibus urere flammis. 485
At gente in Scythica suffixa cadauera truncis
Lenta dies sepelit, putri liquentia tabo.'

uti his versibus poterat Buecheler mus. Rhen. XXXV p. 390, cum Silium sectam secutum esse Stoicam recte demonstraret. pendet a Chrysippo Silius auctore *in omni historia curioso* tamque doctum Stoicum se exhibet testimoniis his coacervatis quam pravum poetam. hoc spero nemo

que non levis est confirmatur quae Cynici de humatione scripserant ea Stoicum minime praeteriisse, licet aliunde haud pauca addiderit *ut est in omni historia curiosus* h. e. testimoniis exemplisque divitissimus. recte igitur et vere iudicat Hirzel l. c. p. 398: 'wenn Chrysippos auf diese Weise das Bestatten überhaupt und den Wert, den Manche darauf legten als töricht hinzustellen suchte, to trat er damit nur auf den kynischen Standpunkt, den er, wie wir wissen (Zeller III 1 S. 281), auch sonst bestehenden Sitten und Gebräuchen gegenüber eingenommen hat'. neque eis non subscribo equidem quae idem vir doctus de sententiarum conexu statuit quem in commentario Graeco fuisse putat a Cicerone adhibito (vid. Hirzel l. c. p. 397 s.). sed haec ad Chrysippum pertinent vel ad Ciceronem. ut ad Teletem revertar, ex Bione transcriptam esse etiam eam disputationis particulam, cuius nunc supersunt verba καὶ ἡμεῖς μὲν κτέ. valde veri simile duco. apparet enim hanc inter Teletem et Chrysippum congruentiam (cf. οἱ δὲ (sc. Αἰγύπτιοι) σκελετεύσαντες ἔνδον ἔχουσιν ὡς καλόν τι Tel. p. 31, 10 ubi vide quae adnotavimus) non ita explicandam esse ut alter alterum exscripsisse putetur sed uterque fontem adiisse Cynicum [1]). tenuis

---

iam negabit, quamquam singula testimonia quae satis largam praebeant disserendi copiam commentario illustrare nunc, ne nimis intumescat adnotatio, supersedeo.

1) Assensus mihi interim C. Praechter Philol. LVII p. 504 ss. commonuit ea quae supra scripsi liquido confirmari etiam Luciani de luctu c. 21. sed ipsius viri docti verba adscribo: 'Zur Stütze seiner Konjektur verweist H. auf Cic. Tusc. disp. 1, 45, 107 f. und Sext. Emp. Pyrrh. hyp. 3, 226 ff. Eine noch gewichtigere Bestätigung bringt eine dritte mit der bionischen sich näher berührende Stelle eines Schriftchens, auf dessen Bedeutung für diesen Zweig der kynischen Literatur ich hier hinweisen möchte . . . Luc. de luctu 21 f. heisst est: καὶ μέχρι μὲν θρήνων ὁ αὐτὸς ἅπασι νόμος τῆς ἀβελτερίας· τὸ δὲ ἀπὸ τούτου διελόμενοι κατὰ ἔθνη τὰς ταφὰς ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψεν, ὁ δὲ Ἰνδὸς ὑάλῳ περιχρίει, ὁ δὲ Σκύθης κατεσθίει, ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος· οὗτος μέν — λέγω δ' ἰδών — ξηράνας τὸν νεκρὸν ξύνδειπνον καὶ ξυμπότην ἐποιήσατο· πολλάκις δὲ καὶ δεομένῳ χρημάτων ἀνδρὶ Αἰγυπτίῳ ἔλυσε τὴν ἀπορίαν ἐνέχυρον ἢ ὁ ἀδελφὸς ἢ ὁ πατὴρ ἐν καιρῷ γενόμενος. χρώματα μὲν γὰρ καὶ πυραμίδες

eiusdem fontis rivulus pervenit in Plutarchi commentarium an vitiositas ad infelic. suff. p. 499 D [1]): καὶ τί Θεοδώρῳ μέλει πότερον ὑπὲρ γῆς ἢ ὑπὸ γῆς σήπεται; Σκυθῶν εὐδαίμονες ταφαὶ αὗται. Ὑρκανῶν δὲ κύνες, Βακτριανῶν δὲ ὄρνιθες νεκροὺς ἐσθίουσιν κατὰ νόμους, ὅταν μακαρίου τέλους τυγχάνωσιν. cf. Stob. flor. 123, 11 Mein. neque igitur Bionem Teles de manibus iam prius deposuisse censendus est. aliud Bioneae de humatione et sepultura expositionis frustulum servavit Laertius IV 48: κατεγίνωσκε δὲ καὶ τῶν τοὺς ἀνδρώπους κατακαόντων μὲν ὡς ἀναισθήτους, παρακαόντων δὲ ὡς αἰσθανομένοις, ubi αἰσθανομένοις scripsi cum Mer. Casaubono pro αἰσθανομένους. nam παρακαίειν ut ἀποκαίειν in gemello gnomologii Vaticani loco (n. 20) de parentando dictum esse vidit Sternbach *Wien. Stud.* IX p. 186.

Parce et circumspecte utendum est his quae de oratione Bionis et stilo observavimus, neque enim ipsa sufficiunt sola ad originem ullius scripti extricandam. consulto supra de orationis indole tacuimus ubi Bioneae originis suspicione non exempta diximus haec Tel. p. 26, 6: δύναμαι δὲ μεταβὰς ὥσπερ ἐξ ἑτέρας νεὼς εἰς ἑτέραν ὁμοίως εὐπλοεῖν, οὕτως ἐξ ἑτέρας πόλεως εἰς ἑτέραν ὁμοίως εὐδαιμονεῖν (cf. Musonius p. 42, 14 s. H.). com-

καὶ στῆλαι καὶ ἐπιγράμματα πρὸς ὀλίγον διαρκοῦντα πῶς οὐ περιττὰ καὶ παιδιαῖς προσεοικότα; Die Bedeutung dieser Stelle für die entsprechende bei Teles ist um so grösser, als die Schrift περὶ πένθους kynischen Charakter zeigt.' Cynicam autem Luciani de luctu diatribae rationem ut ipse explanavit Praechter l. c. ita nuperrime Rudolfus Helm *Lucian und Menipp* (Lips. et Berol. ed. a. 1906) p. 170 et 348 ss. ceterum de Stoicis videsis etiam quae intra adnotavimus p. 31 adn. 1.

1) Non recte in proecdosi de Plutarchea huius libelli origine dubitaram, cf. G. Siefert comment. philol. Ienens. VI p. 111 ss. quod autem dixi in partibus nonnullis commentarii Bioneos pellucere colores, id etiamnunc teneo, sed maiore disputatione opus est quam quae adnotationis terminis circumscribi possit. hoc unum moneo, eo quod 'partim eaedem' ut Sieferti verbis utar 'partim similes historiolae atque in hoc volumine de Diogene, Metrocle, Cratete, Theodoro atheo, Socrate etiam in libris De tranquill. an. et De exilio narrantur', opinionem meam non redargui. quamquam hunc aliosve libros quasi de Cynicorum pera prompsisse Plutarchum nec olim ego dixi nec dico hodie, cf. supra p. XLIX et Siefert *Plut. Schr.* περὶ εὐθ. (Numburgi ed. a. 1908) p. 28 adn. 3.

munis erat eiusmodi ornatus permultis poteratque etiam Teles, licet retusioris fuerit ingenii, assidua lectione eo pervenire, ut artem argutiasque eius scriptoris quem praeter ceteros in deliciis habuit haud infeliciter imitaretur. alia igitur ac firmiora argumenta sive indicia accedant necesse erit, si scrupulum voles quasi radicitus expelli. quod quo modo salva ratione fieri possit, etiam alio praeter illum de humatione loco utile erit demonstrare. velut supra (p. XLVI) probabile est visum Bioni Teletem debere verba p. 16, 4: ὥσπερ ⟨ὁ⟩ ἀγαθὸς ὑποκριτὴς εὖ καὶ τὸν πρόλογον εὖ καὶ τὰ μέσα εὖ καὶ τὴν καταστροφήν, οὕτω καὶ ὁ ἀγαθὸς ἀνὴρ εὖ καὶ τὰ πρῶτα τοῦ βίου εὖ καὶ τὰ μέσα εὖ καὶ τὴν τελευτήν. indiciis ibi adlatis nunc novum addi licet ex oratione petitum: rhetoricum artificium quod verbis inest structura prorsus aequabili ordinatis temperatur grata quadam, ni sensu fallor, sermonis familiaris neglegentia. non spernendum hoc quidem est iudicii adminiculum, sed profligatur res eo quod haec verba ad eandem diatribam pertinere elucet, qua Bio viri boni cum bono histrione comparationem, Fortunae cum poetria uberrime persecutus erat. hinc ultra progredi licet. nam similitudo haec saeculi quarti tertiique temporibus et ingeniis accommodatissima (cf. C. Robert *Bild und Lied* p. 42 s.) quae vivendi artem arte histrionali vitamque vitae quasi speculo scilicet argutius illustrabat a Bione studiosissime arrepta est variisque ingenii luminibus exornata. praeclaram diatribam posteriores in suum usum converterunt unde hodie quoque aliquam partem recuperare licet. sed multa cautione opus erit. nec primus enim Bio nec solus hac imagine est usus, si tamen fides est Diodoro Siculo qui Philippo regi Demadem dixisse tradidit XVI 87: βασιλεῦ, τῆς τύχης σοι περιθείσης πρόσωπον Ἀγαμέμνονος αὐτὸς οὐκ αἰσχύνῃ πράττων ἔργα Θερσίτου; neque omnino certum adfirmo quod Telete nisus coniecit E. Weber ex Bione adsumpsisse Aristonem Chium quae Laertius habet VII 160: εἶναι γὰρ ὅμοιον τῷ ἀγαθῷ ὑποκριτῇ τὸν σοφόν, ὃς ἄν τε Θερσίτου ἄν τε Ἀγαμέμνονος πρόσωπον ἀναλάβῃ, ἑκάτερον ὑποκρινεῖται προσηκόντως.

esse sane scio quae huic sententiae faveant. velut Thersitae et Agamemnonis exempla etiam Bionem praebuisse vix obsistam conicienti. eadem enim leguntur in Arriani Epictetei diss. IV 2, 10: διάφορα δ' οὕτω πρόσωπα οὐ μίγνυται· οὐ δύνασαι καὶ Θερσίτην ὑποκρίνασθαι καὶ Ἀγαμέμνονα· ἂν Θερσίτης εἶναι θέλῃς, κυρτόν σε εἶναι δεῖ καὶ φαλακρόν ἂν Ἀγαμέμνων, μέγαν καὶ καλὸν καὶ τοὺς ὑποτεταγμένους φιλοῦντα, ubi verbis κυρτὸν . . . καὶ φαλακρόν et μέγαν καὶ καλόν Homeri carmina respici (Il. II 216 III 167 ss.) observarunt interpretes (cf. Arr. III 22, 7 s.). accedit vero quod melius intellegetur, cur aequius de Bione et humanius iudicaverit Eratosthenes (cf. Wachsmuth sill. [2] p. 75), si Aristo interdum Bionis vestigia legisse putabitur. nam Eratosthenes Aristonis discipulus factus (Athen. VII p. 281 c) 'Aristonem' scripsit ut Apollophanes. denique Arcesilai adversarius acerrimus non modo Bio fuisse traditur (vid. Dicaeocles Cnidius apud Numenium in Eusebii praep. evang. XIV 6, 5 p. 731b) sed etiam Aristo (locos collegit Zeller III[3] 1 p. 36 adn.). nihilo setius non nihil scrupuli ut mihi resideat, in causa est sollemnis illa Chii Aristonis cum Cio confusio notumque Panaetii de Aristonum libris iudicium, quod non neglegere debebat E. Weber l. c. p. 185 s., si quidem ad certum pervenire finem ipse voluit. de Cio enim exstat Strabonis testimonium quod infra illustrabitur. neque recte vir doctus (l. c. p. 182 adn. 3 p. 185) confidit consensu inter ὁμοιωμάτων auctorem (Stob. flor. 4, 110) observato et Bionem Ps.-Plutarchi de liber. educ. c. 10. nam quae ὁμοιωμάτων compilator habet ea ex Laertii (II 79. 80) fonte fluxisse male intellecto acute animadvertit Adolfus Kiessling prooem. univ. Gryphisvald. hib. a. 1887 p. V s. tutius igitur existimo rationem quae inter Bionem et Aristonem Chium intercesserit in medio relinquere[1]).

1) De Aristone Chio Bionis imitatore et ipso interim maiore cum fiducia iudicavimus. certe Panaetii Sosicratisque de Aristonis libris iudicio ne nimium tribuatur cavendum erit, cf. quae et ego monui mus. Rhen. XLV p. 542 et inprimis quae scripsit R. Heinze ibid. p. 511 ss. vel Th. Gomperz *Griech. Denker* II p. 551. non accedo Gerckio *Arch. f. G. d. Phil.* V p. 210.

excludo etiam alia. neque enim dubium est quin boni viri illa vel sapientis cum bono histrione comparatione, quam ad locupletandas Bionis reliquias valere persuasum habeo, posteriorum temporum philosophi praecipue Stoici ita usi sint ut etiam novas pro sententiarum conexu elicerent similitudines easque a Bionea disputatione cuius aliquam partem Teles servavit satis diversas. ne igitur aliena inmisceam, omitto quae M. Tullius habet Stoicorum doctrinam secutus de offic. I 31, 114 (cf. Hirzel *Unters.* II 1 p. 434 adn. 1), item paradox. III 26. nec minori dubitationi obnoxium puto quod facile cuipiam in mentem venerit ex Bionis Περὶ τῆς ὀργῆς libro hausisse Sotionem quae conservavit Stobaeus III 20, 54a H. (ὑποκριταῖς μὲν οὖν — χρῶνται τῷ σχήματι) quaeque in usum suum vertit ex praeceptoris libro Seneca de ira II 17, 1 (*orator, inquit, iratus — iratum bene agentes*). Sotionis fragmentum ex communi fonte Stoico, e Chrysippo sumptum esse suspicatur Guilelmus Allers (de L. Annaei Senecae librorum de ira fontibus p. 58) duce Cicerone Tusc. disp. IV 25, 55. denique consulto praetereo Lucianum similitudinibus scaenicis affluentem. Luciano qui uti volet agere id non poterit nisi omnibus huius generis locis diligenter inter se collatis similibusque quos alii scriptores sive Graeci sive Latini suggerunt in uno conspectu positis [1]). qua via fortasse huc perveniri posse speres, ut quae Lucianus addidit suo indulgens ingenio subtilius discernantur ab eis quae ex Cynicorum imitatione manarunt, maxime Menippi. neque igitur discentium desideriis satis fecit E. Weber (p. 188 s.) cum Bionem doceret imitatum esse Lucianum in nec. 16. similitudinem quandam interesse inter Luciani locum et Bionis qui exstat apud Teletem nemo negabit, sed curiosius scrutanti eorundem

1) Exempli causa comparare iuvat locos Luciani necyom. 16 apol. 5 Icaromen. 29 navig. seu vot. 46 cum Seneca epist. 76, 31. — Sic olim praetervehens quasi digito monstravi provinciam frugibus felicem, tunc tamen paucis visitatam. eodem autem anno Luciani aliquot locos respexit etiam Duemmler *Akad.* p. 3 ss. interim Menippo operam navans segetes demessuit R. Helm *Lucian und Menipp* p. 45 ss.

locorum tanta videbitur differentia, ut sponte nascatur suspicio etiam ea quae propius absint a Bione illum alius scriptoris lectioni debere. sive Menippus is fuit Bionis fortasse vestigiis insistens sive alienior. sed nobis ut quibus Bio attingendus sit propter Teletem, non Teletea edantur propter Bionem, disputationem in eis quae magis inter se conveniunt continuisse satis erit. monendum hoc duxi, ne plura viderentur promitti quam hac praefatione includi par erat [1]).

Iam ut afferam non nulla ex quibus et Teleteis lux affulgeat et Bionea illa diatriba cuius mentionem iniecimus aliquid incrementi capiat, procedat fragmentum Epicteteum quod servavit Stobaeus flor. 97, 28 Mein. cum lemmate ἐκ τῶν Ἀρριανοῦ προτρεπτικῶν ὁμιλιῶν. cuius verba cum Teleteis tam speciose congruunt, ut nisi communi eiusdem scriptoris usu concentus explicari nequeat. quod ut primo quisque obtutu perspiciat, cuncta exadversum pono:

Teles p. 5, 2:	Teles p. 52, 2	Epictetus Stob. flor. III p. 211, 11 Mein. (fr. XI p. 412, 7 Schenkl)
Δεῖ ὥσπερ τὸν ἀγαθὸν ὑποκριτὴν ὅ τι ἂν ὁ ποιητὴς περιθῇ πρόσωπον τοῦτο ἀγωνίζεσθαι καλῶς, οὕτω καὶ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα ὅ τι ἂν περιθῇ ἡ τύχη. καὶ γὰρ αὕτη, φησὶν ὁ Βίων, ὥσπερ ποιήτρια, ὁτὲ μὲν πρωτολόγου, ὁτὲ δὲ δευτερολόγου περιτίθησι πρόσ-	Ἡ τύχη ὥσπερ ποιήτριά τις οὖσα παντοδαπὰ ποιεῖ πρόσωπα, ναυαγοῦ, πτωχοῦ, φυγάδος, ἐνδόξου, ἀδόξου. δεῖ οὖν τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα πᾶν ὅ τι ἂν αὕτη περιθῇ καλῶς ἀγωνίζεσθαι.	ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι οὐκ εὐφωνότερον οὐδὲ ἥδιον ὁ Πῶλος τὸν τύραννον Οἰδίποδα ὑπεκρίνετο ἢ τὸν ἐπὶ Κολωνῷ ἀλήτην καὶ πτωχόν; εἶτα χείρων Πώλου ὁ γενναῖος ἀνὴρ φανεῖται, ὡς μὴ πᾶν τὸ περιτεθὲν ἐκ τοῦ δαιμονίου πρόσωπον ὑποκρίνασθαι καλῶς; οὐδέ

1) Maximum Tyrium (diss. VII init.) consulto praeterire me monui in proecdosi, item Plotinum Ennead. III 2, 15. de Maximo interim dixit H. Hobein diss. Gotting. a. 1895 p. 83 ss. cf. R. Helm *Luc. und Men.* p. 48 s.

ωπον, καὶ ὁτὲ μὲν βασιλέως, ὁτὲ δὲ ἀλήτου.	γε τὸν Ὀδυσσέα μιμήσεται, ὅστις καὶ ἐν τοῖς ῥάκεσιν οὐδὲν μεῖον διέπρεπεν ἢ ἐν τῇ οὔλῃ χλαίνῃ τῇ πορφυρᾷ;

Felici casu accidit ut altero loco Teles Bionis nomen non reticuerit: sic etiam reliquorum fons in aperto. quod autem ultro credere licebat, Arriani loco liquido comprobatur: generale praeceptum quod servavit Teles etiam praeclari histrionis exemplo singulari illustraverat Bio. respicitur autem Polus Chariclis filius Suniensis, non Aegineta si verum vidit Schaefer *Demosth.*[2] I p. 244. quamquam de duobus Polis quaestionem ob hanc causam retractare in animo non est [1]). hoc unum dico: sive Arriani verba cum eis quae praecedunt (ἀλλὰ δὴ Σωκράτης, Ἀρχελάου μεταπεμπομένου αὐτὸν ὡς ποιήσοντος πλούσιον, ἐκέλευσεν ἀπαγγεῖλαι αὐτῷ διότι Ἀθήνησι τέσσαρές εἰσι χοίνικες τῶν ἀλφίτων ὀβολοῦ ὤνιοι καὶ κρῆναι ὕδατος ῥέουσιν. εἰ γάρ τοι μὴ ἱκανὰ τὰ ὄντα ἐμοί, ἀλλ' ἐγὼ τούτοις ἱκανός, καὶ οὕτω κἀκεῖνα ἐμοί') artius coniungenda sunt, ut ad Socratis aetatem Polus removeatur, sive dirimenda videntur a prioribus, ut Poli aetatem finituro ad Demosthenis tempora descendere liceat, Bionea esse haec verba aeque manifestum est. confirmatur hoc non sententiae solum verborumque memorabili consensu (cf. πᾶν τὸ περιτεθὲν — πρόσωπον ὑποκρίνασθαι καλῶς), sed etiam exemplo Ulixis. lucis hinc nonnihil affunditur Eratosthenis de Bione iudicio quod rettulit Strabo I 2, 2 p. 15: αὐτῷ (Eratostheni) πολύς ἐστι . . Βίων, ὅν φησι πρῶτον ἀνθινὰ περιβαλεῖν φιλοσοφίαν, ἀλλ' ὅμως εἰπεῖν ἄν τινα ἐπ' αὐτοῦ τοῦτο 'οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων.' non diu factum est postquam de recta huius loci interpre-

1) R. Helm *Luc. und Men.* p. 57 adn. 2 infirmare nuper studuit Epicteti de Polo altero testimonii (p. 411 s. Schenkl) auctoritatem. sed quod hoc testimonium negat satis dilucidum vel certum esse, id ad diluendam quaestionem non sufficit. utique Plutarcho (Demosth. c. 28) Polus Aegineta est, Suniensis Luciano (Menipp. 16). cf. etiam Duemmler *Akad.* p. 7 adn. 1.

tatione inter viros doctos convenit. verum autem hoc est quod eodem anno reppererunt Cobet mnemos.[2] IV p. 82 et Rohde *Griech. Rom.* p. 250 adn. (cf. Wachsmuth sill.[2] p. 74 s.): quamquam negare non ausus est Eratosthenes meretriciis philosophiam ornamentis Bionem induisse, tamen facile posse quempiam mirari ait vigorem Bionis, perinde atque Ulixis pannosi robur et siccitas non sine summa admiratione procorum in conspectum venerit (Od. XVIII 74 οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει). vis scire nunc cur Homeri versus Eratostheni inprimis idoneus visus sit ad Bionis virtutem demonstrandam? ipse Bio, ut erat φιλόμηρος, illo usus erat boni viri exemplum proponens Ulixem [1]), ὅστις καὶ ἐν τοῖς ῥάκεσιν οὐδὲν μεῖον διέπρεπεν ἢ ἐν τῇ οὔλῃ χλαίνῃ τῇ πορφυρᾷ. nam sicut extremis verbis respicitur Odysseae versus XIX 225 χλαῖναν πορφυρέην οὔλην ἔχε δῖος Ὀδυσσεὺς Διπλῆν, sic prioribus Od. XVIII 74 οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει. aptissime autem cum Ulixe mendici stola induto comparari poterat Bio: ἐπανείλετο κυνικὴν ἀγωγὴν λαβὼν τρίβωνα καὶ πήραν (Laert. IV 51), aspice modo Varronis Sesculixem. ceterum quid discrepet cum Bione Arrianus in tanta similitudine neminem fugit. Bio de fortuna loquitur quae tamquam poetria suas cuique partes attribuat, Arrianus daemonium h. e. deum substituit (cf. Schweighaeuser ind. Epict. v. δαιμόνιον). eadem fere ratio est alius loci Epictetei, quem ex Bioneo sermone colores duxisse non est quod fusius exponam. dico enchiridii c. 17: μέμνησο ὅτι ὑποκριτὴς εἶ δράματος, οἵου ἂν θέλῃ ὁ διδάσκαλος· ἂν βραχύ, βραχέος· ἂν μακρόν, μακροῦ· ἂν πτωχὸν ὑποκρίνασθαί σε θέλῃ, ἵνα καὶ τοῦτον εὐφυῶς ὑποκρίνῃ· ἂν χωλόν, ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην. σὸν γὰρ τοῦτ' ἐστί, τὸ δοθὲν ὑποκρίνασθαι πρόσωπον καλῶς· ἐκλέξασθαι δ' αὐτὸ ἄλλου. deus intellegendus est ὁ διδάσκαλος. simul apparet ex hoc loco, quam facilis ab histrionis partibus transitus fuerit ad vitae cum fabula comparationem. etiam hanc

1) Arriani verba recte me ad Bionem rettulisse putat ab Arnim *Gött. gel. A.* a. 1890 n. 4 p. 128. item adprobavit suspicionem meam Guilelmus Capelle de Cynicorum epist. p. 23.

similitudinem ex Bione sublatam esse crediderim, cum praesertim singula Arriani verba insignite conveniant cum Bioneis. mendici (πτωχοῦ vel ἀλήτου) tribus aeque locis supra exscriptis fit mentio, cum istis ἂν ἄρχοντα, ἂν ἰδιώτην apte compones Bionea saepius nobis commemorata: σὺ μὲν ἄρχεις καλῶς, ἐγὼ δὲ ἄρχομαι, φησί, καὶ σὺ μὲν πολλῶν, ἐγὼ δὲ ἑνὸς τουτουὶ παιδαγωγὸς γενόμενος. uberiorem autem ex eodem fonte laticem licet non nimis sincerum invenit Synesius de provid. p. 106 A (130 s. Krab.), cuius orationem adscribo: ἅπας γὰρ βίος ἀρετῆς ὕλη. καθάπερ ἐπὶ σκηνῆς ὁρῶμεν τοὺς τῆς τραγῳδίας ὑποκριτάς· ὅστις καλῶς ἐξήσκησε τὴν φωνήν, ὁμοίως ὑποκρινεῖται τόν τε Κρέοντα καὶ τὸν Τήλεφον, καὶ οὐδὲν θαλουργῇ τῶν ῥακίων διοίσει πρὸς τὸ μέγα καὶ καλὸν ἐμβοῆσαι καὶ καταλαβεῖν ἠχοῖ τοῦ μέλους τὸ θέατρον· ἀλλὰ καὶ τὴν θεράπαιναν καὶ τὴν δέσποιναν μετὰ τῆς αὐτῆς ἐπιδείξεται μουσικῆς, καὶ ὅ τι ἂν περιθῆται προσωπεῖον, τὸ καλῶς αὐτὸν ὁ χορηγὸς τοῦ δράματος ἀπαιτεῖ· οὕτως ἡμῖν θεὸς καὶ τύχη περιτίθησιν ὥσπερ προσωπεῖα τοὺς βίους ἐν τῷ μεγάλῳ τοῦ κόσμου δράματι, καὶ οὐδέν τι μᾶλλον ἕτερος ἑτέρου βίος βελτίων ἢ χείρων, χρῆται δὲ ὡς ἕκαστος δύναται. δύναται δὲ ὁ σπουδαῖος ἁπανταχοῦ καλῶς διαγίνεσθαι, κἂν τὸν πτωχόν, κἂν τὸν μόναρχον ὑποκρίνηται· διοίσεται δὲ οὐδὲν περὶ τοῦ προσωπείου. ἐπεὶ καὶ ὁ τραγῳδὸς γελοῖος ἂν γένοιτο τὸ μὲν φεύγων, τὸ δὲ αἱρούμενος. καὶ γὰρ ἐν τῷ τῆς γραὸς εὐδοκιμῶν στεφανοῦταί τε καὶ κηρύττεται, καὶ ἐν τῷ τοῦ βασιλέως ἀσχημονῶν κλώζεται καὶ συρίττεται, ἔστι δὲ ὅπη καὶ λίθοις βάλλεται. βίος γὰρ οὐδεὶς οἰκεῖος ἡμῶν, ἀλλοτρίους δὲ ἔξωθεν περικείμεθα· ἡμεῖς δέ, τὸ χρώμενον ἔνδοθεν, ἀμείνους καὶ χείρους αὐτοὶ ποιοῦντές τε καὶ δεικνύντες ἀγωνισταὶ ζώντων δραμάτων. ταῦτ' ἄρα ὥσπερ ἐσθῆτας ἔστιν αὐτοὺς ἀμφιέσασθαι καὶ μεταμφιέσασθαι. apparet autem verba ὅστις καλῶς ἐξήσκησε τὴν φωνήν, ὁμοίως ὑποκρινεῖται τόν τε Κρέοντα καὶ τὸν Τήλεφον καὶ οὐδὲν θαλουργῇ τῶν ῥακίων διοίσει — τὸ θέατρον si sententiam spectes eodem redire quo illa Arriani: ἢ οὐχ ὁρᾷς ὅτι οὐκ εὐφωνότερον οὐδὲ ἥδιον ὁ Πῶλος τὸν τύραννον Οἰδίποδα ὑπεκρίνετο ἢ τὸν ἐπὶ Κολωνῷ ἀλήτην καὶ πτωχόν; neque inepte conicies τύχη vocabulum reman-

sisse ex fonte Bioneo adhaesu perquam memorabili οὕτως ἡμῖν θεὸς καὶ τύχη περιτίθησιν ὥσπερ προσωπεῖα τοὺς βίους. nolim igitur repugnare, si quis ex Synesio collegerit Bionem praeter Ulixem Oedipumque etiam plura exempla protulisse e scaena petita. οὔ τἄρ' Ὀδυσσεύς ἐστιν αἱμύλος μόνος. etiam Telephus quam concinne exulis mendicique claudi personam egerit, Euripide duce haud scio an Bio commonstraverit [1]), ut χωλόν, quod inter exempla est in enchiridio Epicteteo, non ad solum pertineat Epictetum. narraverat Antisthenes in successionibus Cratetem Cynicae philosophiae se addixisse θεασάμενον ἔν τινι τραγῳδίᾳ Τήλεφον σπυρίδιον ἔχοντα καὶ τἆλλα λυπρόν (Laert. VI 87). neque a Bione aliena existimaverim quae de histrione tragico accuratius exponuntur, scilicet ad successum nihil interesse utrum vetulae partes velut Hecubae susceperit an regis, modo bene agatur persona nec inconcinne (ἐπεὶ καὶ ὁ τραγῳδὸς — καὶ λίθοις βάλλεται). cognata his sunt quae Simplicius profert commentarii in Epict. enchir. p. 206 Schweigh. sed num Arriani diatribam iam non superstitem ibi adhibuerit dubito. tantum de Arriano et resonante priscum quiddam imagine Synesii.

Histrionis similitudo etiam in eo libro legebatur quo ad dialogum de senectute componendum praecipue usus est M. Tullius. expedit proficisci ab eo loco qui exstat in cap. 18: *quae sunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis praemiis comparandae? quibus qui splendide usi sunt, ii mihi videntur fabulam aetatis peregisse nec tamquam inexercitati histriones in extremo actu corruisse* (cf. epist. ad Quintum fratrem I 1, 16). in proximo autem capite haec sunt: *quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet esse contentus. neque enim histrioni, ut placeat, peragenda fabula est, modo, in quocumque fuerit actu, probetur, neque sapienti usque ad 'plaudite' veniendum est. breve enim tempus aetatis satis longum est ad bene honesteque vivendum.* quorum ad similitudinem proxime accedit Seneca epist. 77, 4: *vita non est*

1) cf. nunc etiam Guilelmus Capelle l. c. p. 24.

imperfecta, si honesta est. ubicumque desines, si bene desinis, tota est et ibid. 20: *quo modo fabula, sic vita non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. quocumque voles desine: tantum bonam clausulam inpone*[1]). Ciceronis autem locus alter cum altero adeo non consentire visus est Meissnero in Fleckeiseni annali 1885 p. 216, ut verba *neque enim histrioni, ut placeat — veniendum est* unco damnaret. non probo hanc rationem. nam si verum quaeris, loco priore sermo fit de sene summa auctoritate ornato: hunc similem esse ait Cicero histrioni quem ne in extremo quidem fabulae actu ars viresque deficiant; altero loco ubi referre negat quam diu quis vivat, modo bene honesteque acta sit vita, histrionem in quolibet fabulae actu artem suam praestare posse contendit neque opus esse prodire eum etiam in extremo. neque igitur video quo modo haec inter se pugnent, cum praesertim aliis partibus manifestum sit imagini penitus excutiendae scriptorem adeo non intentum fuisse, ut nullam praetermitteret occasionem novae similitudinis admovendae. quantum vero ille adamaverit scriptor hanc imaginem vel inde patet quod in locis gravissimis eam posuit tam sub initium dialogi quam in fine. leguntur in cap. 2: *a qua* (sc. *natura*) *non veri simile est, cum ceterae partes aetatis bene discriptae sint, extremum actum tamquam ab inerti poeta esse neglectum,* et rursus in cap. 23: *senectus autem aetatis est peractio tamquam fabulae, cuius defectionem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate.* cum fabula igitur comparatur aetas, partes autem natura quasi poetria tamquam singulos discripsit actus, quorum extremus est senectus, agitur

1) cf. Append. Vat. 369 p. 68 Sternb. Τοῦ βίου καθάπερ δράματος τὰ τελευταῖα κάλλιστα δεῖ εἶναι = Gnom. homoeom. 174a Elt. ubi δεῖ κάλλιστα εἶναι. longius discedit Ps.-Musonius epist. (C. Musonii Rufi rel.) p. 141, 17 H. τοιούτους δ' ὄντας (sc. φησίν) διὰ τὴν τοῦ λόγου καὶ τοῦ κατ' αὐτὸν σχηματιζομένου ἤθους ὀρθότητα καὶ βιώσεσθαι εὐδαιμόνως καὶ καταστρέψειν τὸν βίον εὐδαιμόνως, ὥσπερ τι δρᾶμα εὖ συντεταγμένον ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους ἀστείως ὑποκριναμένους καὶ ἀπαρτίσαντας. cf. etiam Stob. III 1, 180 H.

fabula ab homine tamquam histrione. Bioneo colore tinctam esse orationem secundum ea quae ante composui nulli dubium erit. simul tamen agnoscas scriptorem qui non serviliter auctoris sui vestigia presserit sed exemplar quod ante oculos habuit hac libertate imitatus sit ut novare nonnulla non vereretur. observatio haec firmatur alio loco quem appono:

Teles p. 15, 11:

καθάπερ καὶ ἐξ οἰκίας, φησὶν ὁ Βίων, ἐξοικιζόμεθα, ὅταν τὸ ἐνοίκιον ὁ μισθώσας οὐ κομιζόμενος τὴν θύραν ἀφέλῃ, τὸν κέραμον ἀφέλῃ, τὸ φρέαρ ἐγκλείσῃ, οὕτω, φησί, καὶ ἐκ τοῦ σωματίου ἐξοικίζομαι, ὅταν ἡ μισθώσασα φύσις τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀφαιρῆται τὰ ὦτα τὰς χεῖρας τοὺς πόδας· οὐχ ὑπομένω, ἀλλ' ὥσπερ ἐκ συμποσίου ἀπαλλάττομαι οὐθὲν δυσχεραίνων, οὕτω καὶ ἐκ τοῦ βίου κτέ. [1]).

Cicero Cat. mai. c. 23:

ex vita ita discedo tamquam ex hospitio, non tamquam e domo. commorandi enim natura devorsorium nobis, non habitandi dedit.

cf. Seneca ep. 120, 14:

nec domum esse hoc corpus, sed hospitium, et quidem breve hospitium, quod relinquendum est, ubi te gravem esse hospiti videas. cf. Seneca ep. 70, 16.

ut similitudo qua uterque utitur fere eodem redit, ita singula illa quibus apertiorem Bio rem reddidit non sine suo lepore, in artum contracta sunt apud Ciceronem. quis autem fuerit auctor Ciceronis ut clarescat, principium dialogi consulamus, quo ipse eum commemorat atque ita commemorat ut nisi decipere ille nos per fidem sibi proposuit, decipi non possimus. *omnem autem sermonem tribuimus non Tithono* [2]), *ut Aristo*

1) Bione usus videtur etiam Favorinus fr. 112 p. 144 Marres : ὅτι παραπλήσια τοῖς μετοικιζομένοις πάσχομεν· καὶ γὰρ ἐκείνων οἱ μὲν εὐγνώμονες ταχέως ἐξίασιν, οἱ δὲ μὴ βουλόμενοι πρὸς βίαν. frustulum a Stobaeo servatum flor. 118, 28 Mein. cum lemmate Φαβωρίνου ad librum Περὶ γήρως pertinere admodum veri similiter coniecit Meineke. probatur suspicio fragmento 71 p. 131 Marres (Stob. flor. 119, 16 ἐκ τῶν Φαβωρίνου Περὶ γήρως) unde discitur in hoc ipso libro Favorinum de morte voluntaria egisse.

2) Varronem in Tithono Menippea librum Aristonis imitatum esse

Cius — parum enim esset auctoritatis in fabula — sed M. Catoni seni . . . qua ratione inita ne sibi ipse quasi praecludat commentarii Graeci quem exscripturus est subsidia, in priscum Catonem litteras Graecas cogitur deferre iamque defert. sed harum scientia cum mira non videri non posset in eo viro, cui adventiciam defuisse doctrinam alias diserte testatus erat (de orat. III 33 § 135), vafre sic pergit *qui* (sc. *M. Cato*) *si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito litteris Graecis, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute.* eandemque laudem, nempe ne cui pugnare videatur cum moribus viri vere Romani et ingenio, ipsum Catonem pronuntiantem facit etiam maiore cum pondere in cap. 8: *litteras Graecas senex didici; quas quidem sic avide arripui quasi diuturnam sitim explere cupiens, ut ea ipsa mihi nota essent, quibus me nunc exemplis uti videtis*, denique in cap. 11: *multum etiam Graecis litteris utor.* ut brevi praecidam, idcirco quod Catoni, non Tithono sermo tribuitur, spretam esse a Cicerone Cii doctrinam minime consequitur. nullius enim alius de senectute libri memoria inicitur quam Aristonei. ecce insperata lux affulget quaestioni nondum ad liquidum perductae. Aristo enim Cius quod genus aemulatus sit expresso scimus Strabonis testimonio quo appellatur ille ὁ τοῦ Βορυσθενίτου Βίωνος ζηλωτής X 5, 6. ad Aristonem igitur puto referenda esse quae in libro Tulliano ex Bionis imitatione fluxisse vidi-

---

coniecit Riese Varr. sat. Men. proleg. p. 29, quam sententiam probare videtur Ribbeck *Gesch. der röm. Dicht.* I p. 263 s. fieri id potuisse nulla controversia est, sed artam necessitudinem reputanti quam Bionem inter et Aristonem intercedere testatur Strabo, multo mihi quidem probabilius videtur Varronem etiam illud nomen et argumentum ex fonte Cynico id est Menippo suo hausisse. non magis mihi persuasit Ribbeck quod coniecit Varronis saturam post Ciceronis de senectute librum esse scriptam. Tithonum cuius hodie non supersunt nisi quinque fragmenta consentaneum quidem est Varronem composuisse (sicut Γεροντοδιδάσκαλον) aetate provectiorem, quo tamen scripserit anno nescitur neque in 'veteribus' illis quas ipse Cicero anno a. Chr. 46 vocat Varronis saturis ullum temporis vestigium invenitur posterioris bello civili aut supparis Ciceroni philosophanti. sed ne iniquius dicam in Ribbeckium vid. *G. d. r. D.* I² p. 354.

mus, sive ipsius Aristonis liber Ciceroni de senectute scribenti ad manum erat (cf. de fin. V 5, 13) sive commentarius ex Aristone plus minus confertus.

Quamquam ne calidius viam quam patefecimus persequamur, ideo cavendum est quod de libri Aristonei indole aut compositione hodie nihil scitur nisi quod de Tithoni persona modo audivimus [1]). noli igitur eo procedere ut quae in Ciceronis dialogo cum Platonis rei publ. I p. 328 D s. consentiunt (velut Plat. p. 329 B: ἐμοὶ δὲ δοκοῦσιν, ὦ Σώκρατες, οὗτοι οὐ τὸ αἴτιον αἰτιᾶσθαι. εἰ γὰρ ἦν τοῦτ' αἴτιον κτέ. Cic. c. 3: *qui mihi non id ridebantur accusare, quod esset accusandum. nam si id culpa senectutis accideret* e. q. s.) haec ut ex Aristonis libro repetas. leguntur sane huius sententiae persimilia etiam in Teletis Περὶ αὐταρκείας sermone, cuius locos aliquot ad senectutem quoque spectantes iam supra (p. XC) adscripsi. nec fas est dubitare quin sententia illa, non senectuti sed moribus culpam tribuendam esse, quam tam saepe Cicero inculcat, ut tamquam totius disputationis fundamentum haberi possit, eadem fuerit Bionea: cf. Teles p. 9, 1: παράφοροι (?) δὲ πολλοὶ οὐχ ἑαυτοῖς ἀλλὰ τοῖς πράγμασι τὴν αἰτίαν ἐπάγουσιν. ὁ δὲ Βίων ὥσπερ τῶν θηρίων, φησί, παρὰ τὴν λῆψιν ἡ δῆξις — ἀνιάσῃ, οὐχ ὑπὸ τῶν πραγμάτων, ἀλλ' ὑπὸ τῶν ἰδίων τρόπων καὶ τῆς ψευδοῦς δόξης. Cic. c. 5: *sua enim vitia insipientes et suam culpam in senectutem conferunt,* quae verba alia de causa supra (p. XXVIII) tetigimus, Cic. c. 3. 11. 18. at ut facile concedo hanc sententiam multis communem etiam ex Aristone vel Bione in commentarium pervenire potuisse Tullianum, ita ipsi Platonis libro suum esse inter fontes Ciceronis locum equidem haud negaverim. sed haec accu-

---

1) Nec ad Theophrasti librum Περὶ γήρως (Laert. V 43) habeo quod redigamus probabiliter nisi forte frustulum quod tradidit Stobaeus IV 11, 16 p. 340 H.: Θεοφράστου. Χαλεπὸν καταμαντεύεσθαι περὶ τῶν νέων· ἀστόχαστος γὰρ ἡλικία καὶ πολλὰς ἔχουσα μεταβολὰς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλο φερομένη (cf. Aristot. rhet. II 12 Hor. de arte poet. 165). certe usitata erat in libris Περὶ γήρως adulescentiae cum senectute comparatio.

